AN. LXXVI SERIES VII FASC. II. AN. 1951

MONITOR ECCLESIASTICUS

Fundatus a. 1876 ab E.mo Card. Casimiro GENNARI
peculiari S. Sedis adprobatione continuatur

MODERANTIBUS

ARCADIO LARRAONA
Secretario S. C. De Religiosis

FLORENTIO ROMITA
A Studiis S. C. Concilii

ADIUVANTIBUS

ANTONELLI F., O. F. M., Relator. Gener. Sect. Hist. S. C. Rituum — BARTOCCETTI V., Subsecr. S. C. De Disciplina Sacramentorum — BENDER L., O. P., in Pont. Athenaeo *Angelicum* Professore Juris Canonici — BIDAGOR R., S. J., Cons. S. C. De Disciplina Sacramentorum — CAPPELLO F. M., S. J., Cons. S. C. Concilii — DE ANGELIS S., Substit. S. Paenitentiariae Apostolicae — GUTIERREZ A., A Studiis S. C. De Religiosis — INDELICATO S., Off. S. C. Rituum — LENTI PROF. J., Adv. S. Romanae Rotae — OESTERLE G., O. S. B., Cons. S. C. Pro Ecclesia Orientali — PAVENTI X., A Studiis S. C. De Própaganda Fide — ROMANI S., Subpromot. Fidei S. C. Rituum — ROMEO A., A Studiis S. C. De Semin. et Univers. Stud. — ZERBA C., Subsecr. S. C. De Disciplina Sacramentorum

Aliisque S. Romanae Curiae Officialibus, Consultoribus et Advocatis.

DESCLÉE & C[I] — EDITORES PONTIFICII

ROMAE (117) PIAZZA GRAZIOLI N. 4 — TEL. 64.395 — C. C. P. 1-4270

Periodico Trimestrale - *Sped. in Abb. Post.* - Gruppo IV

IMPRIMATUR

Sorae, 25 - VI - 1951.

† Blasius Musto
Episcopus tit. Bassianensis
Coadiutor C. J. S. Episcopi Soran. Aquinaten. et Pontiscurvi
Administrator Apostolicus.

OMNIA IURA PROPRIETATIS VINDICABUNTUR

TIPOGRAFIA EDITRICE M. PISANI - ISOLA DEL LIRI

SUMMARIUM

ADNOTATIONES IN ACTA S. SEDIS

S. S. C. S. Officii

Decretum de « Rotary Club ». (F. PELLEGRINI S. J.). . . . . Pag. 213
Decretum De « gonyklisia » in Missa Ritus Byzantini - 12 februarii 1951 (M. CROVINI) . . . . . » 219
Decretum De consecratione Episcopi sine canonica provisione - 9 aprilis 1951. (M. CROVINI) . . . . . » 221
Comunicato . . . . . » 223

S. C. Concilii

Lucerina et Aliarum - Resolutio supra dubio de Missa pro Episcopo - 11 novembris 1950. (F. ROBERTI) . . . . . » 224

S. C. de Religiosis.

Adnotationes ad Apostolicam Constitutionem *Sponsa Christi* diei 21 Nov. 1950 necnon et ad consequentem Instructionem S. C. de Religiosis diei 23 Nov. 1950. (A. PUGLIESE) . . . . » 226
Epistula ad Supremos Religionum Moderatores ut ad Romanum Pont. Institutum Musicae Sacrae quosdam adlectos alumnos mittant. (F. ROMITA) . . . . . » 243

Sacra Congregatio de Propaganda Fide.

Epistula circa habitudinem inter Pontificia Opera Missionalia et Instituta Religiosa in Missionibus adlaborantia. (X. PAVENTI) . » 252

JURISPRUDENTIA SACRAE ROMANAE ROTAE

Coram R. P. D. ARCTURO WYNEN, Ponente - VICENTINA - Nullitatis Matrimonii - (ex capite impotentiae a parte viri) - Sententia definitiva diei 17 Februarii 1951 . . . . . » 261
Coram R. P. D. PERICLE FELICI Ponente - BRUKLYNIEN - Null. Matr. (ex invalida dispens. super imp. dispar. cultus ob insincere praestitas cautiones). Sententia definitiva diei 4 Aprilis 1951 . » 271
Coram R. P. D. PERICLE FELICI, Ponente - NEOEBORACEN - Nullitatis Matrimonii - (Incidentis: reiectionis libelli) - Decretum d. 30 mai 1949. . . . . » 274
Coram R. P. D. PERICLE FELICI, Ponente - IANUEN - Nullitatis Matrimonii - (Incidentis: restitutionis in integrum) - Sententia interlocutoria d. 3 dec. 1949 . . . . . » 276
Coram R. P. D. PERICLE FELICI, Ponente - IANUEN - Nullitatis Matrimonii - Decretum diei 17 maii 1951 . . . . . » 277

STUDIA ET CONSULTATIONES

Commentaria in Adhortationem Ap. *Menti Nostrae* Pii PP. XII . Pag. 281
Sanctitas in Sacro Ministerio (I. URBANI) . . . . . » 281
Clerus et quaestio socialis (G. JARLOT) . . . . . » 286
De disciplina sacramenti matrimonii pro ecclesia orientali sub luce c. j. c. (G. OESTERLE O. S. B.) . . . . . » 291
De usu facultatis dispensandi quando plura impedimenta concurrunt ad normam can. 1050. (L. BENDER) . . . . . » 307

JUS ECCLESIASTICUM

Italia

Provvidenze e previdenze per il Clero. (***) . . . . . » 317
La impugnabilità della trascrizione del matrimonio concordatario e la competenza dell'A. G. italiana (G. LENTI) . . . . . » 323

Francia

Compte rendu sommaire de l'année 1950. (J. THARY) . . . » 330

RECENSIONES

SACRAE ROMANAE ROTAE DECISIONES SEU SENTENTIAE, quae prodierunt anno 1941. (R. ROMANO) . . . . . » 335
TH. M. VLAMING-BENDER. Praelectiones juris matrimonii. (V. FAGIOLO) . . . . . » 357

DOCUMENTA

Illuminate e provvide norme del S. Padre per l'azione Cattolica e per le Congregazioni Mariane - Ai Superiori degl'Istituti Cattolici . . . . . » 361

CHRONICA

Acta Pii P.P. XII. - Acta SS. Congregationum . . . . . » 367
Index Bibliographicus . . . . . » 375

ADNOTATIONES
IN
ACTA SANCTÆ SEDIS

SACRA CONCREGATIO S. OFFICII

DECRETUM DE « ROTARY CLUB »

(v. textum in Monit. Eccles. vol 76 (1951), pag. 86)

ADNOTATIONES

Quod mentem animumque multorum commoverit Decretum, cuidam forte tribuendum est arcano robori ex vulgata opinione rotarianae sodalitati [1] proprio, et praeclarorum virorum manui, quos ea hic illic sibi asciscit gregalium titulo.

Praecipuae typographicae artis administrationes ac diurni singularum regionum commentarii, seu Decretum seu consociationem collustrare studuere; verum Decreti vim ac rationes, ob quas latum est, haud satis intellexisse visa sunt.

Rotariani qui vocantur catholici, in Italia quidem, quamvis aliqua molestia affecti, Apostolicae tamen Sedis monitum obsequenter exceperunt, aequo animo ulteriora exspectantes; non catholici autem vel fidei socordes indignationem quandam prodere sibi curae habuere quasi Ecclesia per id aliena violasset jura. At diurnis « *L'Osservatore Romano* » diei 27 jan. 1951 in lucem edebatur commentatio, cui titulus « *A proposito del « Rotary Club »*, quaque debita declarabatur auctoritate Decreti obligatio; dubitationes, si quae inter fideles acciderant, dissolvebantur; atque « *suspectae* » consociationis denuo memorata nota, sacrorum Praesulum esse animadvertebatur judicium de ipsa in suo cuiusque territorio ferre.

* * *

Die 23 febr. 1905, in urbe Chicagiensi, advocatus Paulus Harris, francomurariorum sectam jam professus, coetum instituit virorum artem vel commercium exercentium, nomine « *Rotary* » nuncupatum.

Huiusmodi incepto dominus Harris eo forte spectabat ut onera, quibus francomurarii aliarumque societatum sodales premebantur,

---

[1] Scripta, documenta, librorum exemplaria ad sodalitatem hanc attinentia abunde proferuntur in: « *La Civiltà Cattolica* », 1928, vol. 2, p. 481; vol. 3, p. 97; 1929, vol. I, p. 337. « *Aggiornamenti Sociali* », Milano, n. 9-10, p. 251 s. « *C. I. C.* ». (*Centre d'Informations Catholiques*) 1951, 2 janv., Paris. Quae propterea in re penitius perscrutanda valido esse poterunt subsidio.

et odium, in quo iidem apud alios erant, hinc devitarentur, inde vero collegium haberetur clausum amplum multum valens. Mox, cum in Foederatis Americae Septemtrionalis Civitatibus tum in ceteris orbis terrarum partibus, plures oborti sunt coetus, qui, peculiaribus donati legibus, in unam coaluerunt Internationalem Consociationem. Decem post annos 15.000; post viginti annos 132.000; in praesentia 340.000 rotariani numerantur gregales, in 7.100 sodalitates dispertiti, per 82 nationes.

In summi moderatoris munere advocatum Harris dominus Chesley Perry consequutus est, hunc dominus Arcturus Sapp atque alii alios usque ad praesentem Lageux, qui patria Quebecensis religione catholicus est. Primaria sedes usque reperitur Chicagiae; officia ab actis praecipuum adiuvantia tria recensentur, quorum aliud Londini, aliud Tiguris (Helvetia), aliud Bombayae (India) suas sustinet partes. Plures sodalitates provincia continentur; provinciae autem sunt modo 101. Quotannis ferme congressio convocatur, ad quam quilibet rotarianus se conferre potest. Singuli vero coetus conventum hebdomadalem, vel paene hebdomadalem, apud publicas cauponae aedes agunt: in eo qui adsunt, dum mensis considerent, sermonem audiunt de praefinitis rerum argumentis, quibus nec politicae nec religiosae quaestiones intermisceri deberent, ipsique convivae quae de iisdem sentiunt exponere ultro poterunt. Ad istiusmodi conventus sodalitati alieni invitari quandoque solent. Nonnulli commentarii, variis appellati nominibus, in vulgus produnt, ut « *Rotary* », « *Realtà nuova* », « *Annuario* » et cuiusque coetus Acta.

* * *

Rotarianae itaque consociationis indoles simplex admodum apparet: auctoritatis seu dignitatis gradibus, si munera bonorum administrandorum excipiantur, proprie vereque caret; itemque ritus, arcana in se non admittit; non multa imponit onera; paucas suscipit curas; libertati atque ineundis inter homines utilibus rationibus favet. Humanitatis quidem universalisque necessitudinis requiritur cultus; verum nemini quid sibi agendum quidve opinandum sit praecipitur, uti in francomurariorum et communistarum, quos vocant, sectis plerumque fit.

Plures in rotarianam societatem referri avent ob commoda quae inde se capturos sperant, cum in ea, perlate diffusa, multi habeantur viri nomine et auctoritate pollentes. Ac revera qui huiusmodi societati praesunt, in novis admittendis tironibus, stirpis aut religionis aut politices discrimina forte occurrentia pro nihil non putant, ut cuilibet ad ipsam aditus pateat; navamque itidem adhibent curam ut communis civium multitudo, verum eorum optimi vali-

dioresque in cuiusque artis provincia recipiantur. Propterea non omnis qui postulet, in sodalitatem asciscitur, sed solummodo qui ad eam *designetur*. Potentior in singulis provinciis quasi procurator suorum collegarum constituitur, adeo ut unus advocatus, unus medicus, unus textilium opifex, etc. in quolibet coetu enumeretur, sola excepta diurnariorum provincia.

Primaria consociationis lex id dumtaxat gregalibus persequendum proponit, ut communitati prodesse studeant. Quod quidem obtinetur: 1) amicitiae vincula fovendo; 2) se in suis exercendis muneribus honeste gerendo curandoque ut haec proficiendo vigescant; 3) se bono publico usui esse saepenumero cogitando; 4) ut singuli homines universaeque gentes fraterno copulentur foedere seque invicem juvent allaborando. Unde rotarianam sodalitatem liquet non aliud appetere nisi amicitiam, artium operarumque progressum, prosperitatem, pacem. Quibus verbis, uti patet, totum nihilumque significatur.

In prioribus, veluti in recentioribus, documentis, sermo quidem fit de perfectis cogitandi agendique rationibus, de normis et consuetudine rotariana. At pronum sane non est definire quid haec denuntient, cum dissonis gentibus sermone indole moribus accommodentur oporteat. Nihilominus rotarianae consuetudinis nomine intellegi forte poterit, pro cuiusque populi eruditione, humanitatis cultus, ethices naturalis conquisitio, revocantis ad Deum pietatis expletio per communis coniunctionis studium.

Profecto rotarianae vitae ratio cum supernarum rerum incuria seu tolerantia haereticorum novatorum propria, vel cum translaticiis laicorum institutis pugnare non videtur: quandoquidem eos, qui huiusmodi profiteantur principia, ab se minime depellit, modo honestis sint moribus; immo ipsis catholicae doctrinae asseclis incommodum difficulter important, quippe cum omnium fidei sese aequare contendat. Praeterea, quod plurimi est, rotariana ista vivendi norma aliquod concluditur religionis ac morum studium, ut a ceterarum sodalitatum discernatur ratione ad artium solummodo spectante incrementum. Idque in America nominatim patescit, ubi propter nimium externorum negotiorum usum spiritalis quaedam rotarianorum indoles magis elucet. Verum quia consociatio, de qua in praesentia loquimur, peculiarem non profitetur opinionem religiosam, idcirco, pro singularum regionum fide, modo novatores, modo francomurarii, modo laicismi qui dicitur fautores in ea praevalent: quod, ut omnis cordatus videt homo, catholicorum nocere bono poterit.

Quod iudicium, intuitu mentis potius illatum quam documentorum vi innixum, verbis firmatur novatorum ephemeridis « *Reforme* » diei 3 febr. 1951, ubi, quod ad Civitates Americae Septem-

trionalis Foederatas aliasque affines attinet nationes, legitur: (Rotarianum corpus est) « un organismo importante in cui l'influenza del protestantesimo è estremamente chiara, a cominciare dalla sua ideologia (vorremmo dire: dalla sua teologia, malgrado l'orientamento strettamente laico del movimento)» [1].

* * *

Famosae quaedam dominorum Harris, Dons ac Ranelletti declarationes de religionis neglectione ac naturalis ethices studio, Codicis ethici rotariani editio, foedus hic illic cum francomurariis saepenumero initum, horum in rotariana societate praesentia, potissimum incerta primariae legis natura et consociationis ipsius ad omnium religiosam opinionem accommodatio, causae fuere propter quas catholici commentarii, uti « *Razon y Fé* » (a. 1927), « *La Civiltà Cattolica* » (a. 1928 et 1929), « *Cité Chretienne* » (a. 1929), « *Revue Apologetique* », « *La Croix* » etc. (eiusdem temporis), pertimescendum de eadem societate esse monerent. In hisce equidem commentariis rotariano coetui imputabantur: laicismi qui appellatur et ethices naturalis cultus, cum francomurariis collusio, divinarum rerum neglegentia et, forte perperam, francomurariorum sectae exemplar.

Post diurnorum « *L'Osservatore Romano* » scriptum, d. 15 febr. 1951, quo suadebatur sacrae militiae viris ne rotarianis adessent conventibus, Decretum emissum est per Sacram Congregationem Consitorialem idipsum « *non expedire* » praescribens [2]. Hispaniae autem Episcopi, die 23 jan. 1929, rotarianorum corpus diserte damnarunt,

---

(1) Cfr. *C. I. C.*, p. 7. Non solius curiositatis gratia, sed differentis omnino testificandae indolis quam, pro regionum diversitate, rotarianum sodalicium prodere potest, haec quae cl. Chesterton anno 1931, in urbe Neo-Eboracensi, proferebat, libenter recoluntur:

« Io non mi scaglio contro il Rotary con la furia di H. L. Mencken o di Sinclair Lewis, ma consento con essi nel ritenerlo una forma di cameratismo grossolano, ordinario, vanaglorioso, basso e triviale... Ci si sente la mancanza della dignità spirituale. Quasi ogni persona di buona sensibilità è pronta ad ammettere che nel R. soffia un certo vento di esibizionismo personale. C'è dunque una qualcosa di triviale. La Chiesa esiste, tra l'altro, per alimentare il senso delle umana dignità in questa che può dirsi in genere Età del Rotary. Perchè questo decadimento dell'umana amicizia? L'uomo ne è sufficiente a se stesso, nè agli altri. Due Rotariani che si complimentano a vicenda somigliano a due selvaggi che si salutano strofinando naso a naso, in confronto con i grandi santi ed eroi... Non c'è niente di trascendente intorno alla mensa del R. Dovrebbe invece esserci qualche cosa di superiore, di trascendente, di divino in ogni nostra relazione umana. Se manca la presenza di qualche cosa di superiore a noi stessi e agli altri, noi diventiamo una società di mutua ammirazione, una collezione molto meschina di *snob.* » Cfr. *The Tablet*, 20 jan. 1951, p. 46.

[1] Cfr. *A. A. S.*, d. 6 febr. 1929, p. 42.

quod proinde ibi esse desivit, nec postmodum denuo constitutum est [1].

Per privatam relationem cura rotariani coetus, qui Romae est, typis excusam, d. 17 jan. 1951, palam fit dominum Sutton, moderatorem summum, post eiusmodi sententias, in colloquia cum Ecclesiae viris auctoritate pollentibus venisse, ut — ita ibidem legitur — quae ambigua apparebant satis superque explanaret sponderetque, unde primaria lex, pro acceptis tum consiliis, emendata est [2].

At non ideo immutatum est jam latum ab Ecclesia judicium; quin potius, ut in Hispania, item in Hollandia, sacrorum Antistites rotarianos damnatione perculerunt.

Nihilominus post annum 1930 res serenitate quadam frui coepit: in catholicis commentariis sodalitas rotariana silentio praeterita est; non pauci e laicorum ordine viri ei nomen dare dissuasi non sunt; e clericis multi eiusdem conventibus interfuerunt; nonnulli locorum Ordinarii minus aspere in eam sese gessere.

* * *

Quopropter cum, die 11 jan. 1951, Decretum ab Suprema Sacra Congregatione S. Officii in lucem prolatum est, rotariani omnes admiratione affecti sunt. Pro comperto tum fuit clericis non licere in rebus rotarianis habere partes. Quoad laicos vero res in dubium vocata est. Inter eos qui arbitrabantur laicos Decreto huiusmodi non obligari, nonnulli erant, ut animadvertit ephemeris « *Ceylon Daily Nems* », d. 25 jan. 1951, sacri viri alicuius auctoritatis. Ideoque per scriptum diurnis editum « *L'Osservatore Romano* » d. 27 eiusdem mensis, omnis dubitandi causa remota est. Summatim heic exponitur:

1) Quod ad clericos spectat, propositio « *non expedit* » Sacrae Congregationis Consistorialis in propositionem S. Officii « *non licet* » convertitur. Non licet videlicet neque rotariano coetui accenseri neque eius frequentare congressus; licet vero, etsi consueta adhibita cautione, congressionibus adesse proprie non rotarianis, sed a rotarianis viris pro omni civium ordine indictis.

2) Decretum, can. 684 memorans, laicos quoque astringit. Ipsum autem potius hortationem continet, qua fideles ad consociationes prudenter deligendas invitantur, quam vetitum.

3) Rotarianum corpus « *suspectum* » a christifidelibus habendum est, quippe cum laicismi, ut aiunt, studio et munerum religiosorum incuriae indulgeat vel cum, exempli gratia, in morum et justitiae socialis provincia, Ecclesiae urgent praecepta.

---

[1] Cfr. « *La Civiltà Cattolica* », a. 1929, vol. I, p. 344.

[2] Cfr. *R. C. di Roma, Boll. N. 37*, 17 jan. 1951.

4) Huiusmodi siquidem in laicorum instituta inque divinarum rerum neglectionem inclinatio praesentiam in rotariana societate fovet francomurariorum eorumque omnium, qui clericorum osores appellari solent.

5) Episcoporum est statuere, in sua cuiusque dioecesi, utrum reipsa rotarianus coetus « *suspectus* » haberi debeat ac propterea proprios adhortari fideles ut ab eo caveant, necne.

6) Iidem sacri Praesules eundem agendi modum in unaquaque natione servandum praestituent.

* * *

Si quid opinamur, rotariana sodalitas, aliter ac ceterae, artium solummodo bonum provehentes, aliquid sibi proprium vindicat, quod religionem moresque attingit, etsi quanam ratione ac mensura id eveniat facile dictu non sit. Ideoque ex ante disputatis haec concludere posse videtur:

1) Rotarianum sodalicium *per se* catholicis periculosum est. Quocirca, peculiaribus exceptis casibus in quibus periculum abest, ei annumerari aut eius adesse conciliis licitum profecto non est.

2) Quinam eiusmodi sint casus prudenti Episcoporum judicio statuendum est, qui de praesente tum periculo christifideles commonere debent.

3) Periculi ipsius causae hae, praeter alias, recenseri possunt:

a) plurium hominum consuetudo dissonam de rebus divinis opinionem profitentium.

b) religionis, quae recte vivendi omniumque virtutum est fundamentum, incuria, tolerantia, prout a novatoribus intellegitur, laicismi atque ethices naturali studium more francomurariorum alitum.

c) ambiguitas ipsa ac dubia consuetudinis rotarianae indoles.

4) Catholici denique homines, qui quod in sua communitate est in aliis exposcere contendunt, se eo ipso patefaciunt Ecclesiae parvi pendere doctrinam.

Franciscus Pellegrino S. I.

DECRETUM

DE « GONYKLISIA » IN MISSA RITUS BYZANTINI

Supremae huic Sacrae Congregationi propositum est dubium.

« Utrum magna prostratio (*gonyklisia*), ubi in usum venerit in celebratione Missae Ritus Byzantini, facienda sit post Christi verba, in consecratione panis et vini pronunciata, aut tandem post prolatam « *Epiclesim* ».

E.mi ac R.mi Cardinales rebus fidei ac morum tutandis praepositi in Plenario Conventu Feriae IV, die 20 Decembris 1950 habito, audito Rev.morum Consultorum voto, respondendum censuerunt:

Affirmative ad I^am^ partem;

Negative ad II^am^.

Et Feria V subsequenti, Ss.mus D. N. D. Pius Divina Providentia Pp. XII, in Audientia Exc.mo ac Rev.mo D. Adsessori S. Officii concessa, relatam Sibi E.morum Patrum resolutionem adprobavit et publicari iussit.

Datum Romae, ex Aedibus S. Officii, die 12 Februarii 1951.

MARINUS MARANI, *Supremae S. Congr. S. Officii Notarius.*

(*A.A.S.* Vol. 43 pag. 217).

ADNOTATIONES

Statim non apparet ratio, qua a S. Officio latum sit hoc Decretum potius quam a S. C. Pro Ecclesia Orientali aut a S. C. Rituum. At, sicut ex sequentibus facile eruitur, non de re tantum disciplinari vel liturgica, sed praesertim de re agitur, quae catholicam tangit doctrinam.

1. - « *Epiclesis* », ut notum est, est oratio, qua Deus invocatur ut Spiritum Sanctum Suum mittat qui panem in Corpus et vinum in Sanguinem Christi transmutet [1].

In Liturgiis Orientalibus « *Epiclesis* » ponitur post verba Consecrationis; in Liturgia Romana, autem, videtur non adesse. Sed non est hic locus disputandi de hac quaestione.

---

[1] Cfr. « *Enciclopedia Cattolica Italiana.* Vol. V, pp. 409-414.

Mirum non est verbis « Epicleseos », uti sonant, Deum invocari quasi si *transubstantiatio* adhuc facta non sit. Nam in Liturgia non raro tempora dividuntur, quae in re unita sunt vel uno momento eveniunt. In Liturgia Byzantina, ex gr., transubstantiatio, quae verbis Christi a Sacerdote prolatis operatur, tempore dividitur a Divina actione quae per ministerium Sacerdotis, verba Christi proferentis, panem in Corpus et vinum in Sanguinem Christi transmutat.

2. - Transubstantiatio fieri verbis « hoc est Corpus meum » et « hic est Sanguis meus » (vel similibus), in Ecclesia Catholica est *doctrina communis*. Non est definita, sed est « *proxima fidei* ».

Documentum novissimum Magisterii Ecclesiastici de hac re est Epistula Summi Pontificis Pii X diei 26 decembris 1910 ad Apostolicos Delegatos in quasdam Regiones Orientales datas (« *Ex quo nono labente saeculo* ») « ... Sed nec ibidem intacta relinquitur catholica doctrina de sanctissimo Eucharistiae sacramento, cum praefracte docetur sententiam suscipi posse quae tenet apud Graecos verba consecratoria effectum sortiri nisi iam prolata oratione illa, quam « *epiclesim* » vocant, cum tamen compertum sit Ecclesiae minime competere ius circa ipsam sacramentorum substantiam quidquam immutandi... » [2].

Theologi vero ecclesiae dissidentis orientalis in hac quaestione concordes non sunt. Dum enim aliqui doctrinam catholicam profitentur, ceteri in duas opiniones dividuntur:

a) quidam, opinionem Nicolai Cabasila, viri mystici sec. XIV, et Simeonis, Archiepiscopi Tessalonicensis (sec. XV), prosequentes, affirmant verba Christi consecratoria maximam vim habere ad transubstantiationem obtinendam, sed ut effectum suum sortiri possint, coniungenda esse cum « *epiclesi* »;

b) quidam, denique, docent transubstantiationem non operari, *nisi tantum post prolatam « epiclesim »*.

3. - In Ritu Byzantino (sive inter catholicos sive inter dissidentes) nunquam fuit unicus et constans usus quoad prostrationes seu « *magnas metanias* » aut « *gonyclisias* ».

Catholici « magnam metaniam » faciunt statim post prolata verba consecratoria; eadem consuetudo servabatur a dissidentibus russicis (ut affirmant quidam profugi post « revolutionem » anni 1917) et forsitan etiam ab aliis dissidentibus.

Sed nunc inter dissidentes usus invaluit quasi generalis faciendi « *magnam metaniam* » tantum post « *epiclesim* ». Quem usum novissimis temporibus imitari coeperunt etiam pauci sacerdotes catholici ritus byzantini.

---

[2] Cfr. *A. A. S.*, vol. III, (1911), pag. 119.

4. - Talis usus per se tolerari posset, si doctrina catholica de transubstantiatione clare admitteretur.

At res plane contraria et gravissima facta est. Nam in editione « *Hieratikon* » anni 1895, cum autentica adprobatione Patriarchatus dissidentis Constantinopolitani formaliter introducta est erronea doctrina, qua explicite affirmatur transubstantiationem fieri tantum post prolatam « *epiclesim* ».

Conclusio: Ex iis, quae supra dicta sunt, facile concluditur catholicos ritus byzantini nullam causam habere ut recentem usum dissidentium sequantur; immo vero causam habere, et quidem gravissimam, ut praescriptis Decreti S. Officii adamussim obtemperent.

MARIUS CROVINI

DECRETUM

DE CONSECRATIONE EPISCOPI SINE CANONICA PROVISIONE

Suprema Sacra Congregatio Sancti Officii, ex speciali facultate sibi a Summo Pontifice facta, hoc edidit decretum:

Episcopus, cuiusvis ritus vel dignitatis, aliquem, neque ab Apostolica Sede nominatum neque ab Eadem expresse confirmatum, consecrans in Episcopum, et qui consecrationem recipit, etsi metu gravi coacti (c. 2229, § 3, 3°), incurrunt *ipso facto* in excommunicationem Apostolicae Sedi *specialissimo modo* reservatam.

Hoc decretum vim suam exercet ab ipso promulgationis die.

Datum ex Aedibus Sancti Officii, die 9 Aprilis 1951.

MARINUS MARANI, *Supremae S. Congr. S. Officii Notarius.*

(*A.A.S.* Vol. 43 vol. 217 s).

ADNOTATIONES

Quamvis Decretum, de quo agitur non indigeat multis declarationibus, peropportunum tamen est differentias notare inter ipsum Decretum et can. 2370, qui vim suam adhuc servat.

1. - In can. 2370 dicitur: « Episcopus aliquem consecrans in Episcopum, Episcopi vel, loco Episcopi, presbyteri assistentes, et qui consecrationem recipit etc. ».

Decretum vero loquitur tantum de Episcopo consecrante et de eo qui consecrationem recipit. Ergo poenam gravissimam, a Decreto latam, non incurrunt presbyteri assistentes.

Incurruntne Episcopi Conconsecratores?

Cum in Constitutione Apostolica *Episcopalis Consecrationis* diei 30 novembris 1944 (v. *A. A. S.*, vol. XXXVII, 1945, pp. 131-132) edicatur: « ... duo Episcopi, qui... adsunt consecrationi... et *ipsi Consecratores effecti...* », et ideo unusquisque eorum considerari possit ut « Consecrans in Episcopum », mihi videtur respondendum *affirmative.* At pro opinione contraria adduci potest Decretum S. Officii loqui de Episcopo Consecratore in singulari et non in plurali. Et si dubium remanet, iuxta can. 19, benigna interpretatio est facienda.

2. - Can. 2370, cum dicat: « sine mandato Apostolico contra praescriptum can. 953 », respicit tantummodo Ecclesiam Latinam; in Ecclesia enim Orientali consecratio Episcopi non reservatur Romano Pontifici, quamvis requiratur confirmatio electionis.

Neque illa poena afficit Cardinales, cum expresse non nominentur (v. can. 2227 § 2).

Decretum S. Officii, e contra, valet pro universa Ecclesia et poena, in ipso statuta, etiam Cardinales (et Patriarchas) afficit. Nam dicitur: « Episcopus *cuiusvis ritus* vel *dignitatis* aliquem neque ab Apostolica Sede nominatum *ab Eadem expresse confirmatum...* ».

3. - Can. 2370 statuit poenam, ipso iure incurrendam, *suspensionis* (a qua sola Sedes Apostolica potest dispensare).

Decretum vero S. Officii gravissimam poenam addit *excomunicationis* (pariter latae sententiae) Apostolicae Sedi *specialissimo modo reservatam*, cum omnibus iuris effectibus [1]. Prima est poena

---

[1] Etiam hac de causa patet Decretum respicere universam Ecclesiam, etiam Orientalem. Nam anno 1934 a Suprema S. Congr. S. Officii latum est Decretum, in quo edicitur: « Cum ex expresso Ss.mi D. N. Pii divina Providentia Pp. XI mandato ad Supremam hanc S. Congregationem S. Officii delata fuerit quaestio an sanctiones contentae in cann. 2320, 2343 § 1, 2367, 2369 Codicis juris canonici, quibus quaedam delicta excomunicatione latae sententiae specialissimo modo Sanctae Sedi reservata plectuntur, extendantur ad universam Ecclesiam, E.mi ac Rev.mi Domini Cardinales rebus fidei morumque tutandis praepositi, omnibus mature perpensis, praehabitoque S. Congregationis Orientalis et S. Paenitentiariae Apostolicae voto, in plenario conventu habito Feria IV, die 12 Iulii 1934, decreverunt huiusmodi sanctiones, attenta omnino extraordinaria ipsorum delictorum gravitate, extendi ad universam Ecclesiam Latinam et Orientalem cuiuscumque ritus, atque eorumdem delictorum cognitionem quoad forum internum Paenitentiariae, quoad forum externum Sancto Officio reservari.

Et sequenti Feria V, die 19 eiusdem mensis et anni, Ss.mus D. N. D. Pius divina Providentia Pp. XI, in solita audientia Exc.mo ac Rev.mo D.no Adsessori Sancti Officii impertita, relatam Sibi E. morum Patrum resolutionem adprobare et suprema Sua auctoritate confirmare dignatus est, et publici iuris faciendam iussit.

Datum Romae, ex Aedibus S. Officii, die 21 Iulii 1934.

Cfr. *A. A. S.*, vol. XXVI (1934), pag. 550.

I. Venturi, Supremae S. Congr. S. O. Notarius.

vindicativa, iuxta communem sententiam; secunda vero censura, ut patet.

4. - Denique Decretum edicit poenam incurrere illos etiam, qui « metu gravi coacti » sunt, atque expresse statuit « vim suam » exercere « ab ipso promulgationis die ».

Conclusio: Haec omnia clare demonstrant agi in casu de gravissimo periculo apostasiae vel schismatis. Quod autem confirmant notitiae, quae ad nos pervenire possunt e Regionibus sub communistarum regimine subiectis.

MARIUS CROVINI

COMUNICATO

Entro il tempo stabilito dal Comunicato del 23 febbraio 1951, il Sac. D. Francesco Vittorio MASSETTI, della Diocesi di Ripatransone, promotore dei cosidetti « Cenacoli Presbiterali », si è presentato alla Suprema Sacra Congregazione del S. Offizio e in atto di sottomissione e obbedienza ha sottoscritto la presente dichiarazione:

« Io sottoscritto, Sac. D. Francesco Vittorio MASSETTI, riconoscendo di aver mancato ai miei Superiori Ecclesiastici e di avere contribuito, con erronea direzione spirituale, alla insubordinazione di alcuni sacerdoti e fedeli, deploro sinceramente tali mie mancanze e dichiaro di volermi completamente sottomettere alle direttive e alle disposizioni dei miei Superiori Ecclesiastici ».

Fírmato: Sac. Francesco Vittorio MASSETTI

Roma, dal Palazzo del S. Offizio 8 giugno 1951.

MARINO MARANI
Notaro della Suprema S. Congregaz. del S. Offizio

SACRA CONGREGATIO CONCILII

LUCERINA ET ALIARUM

MISSAE PRO EPISCOPO

Die 11 Novembris 1950

DUBIUM. — Huic Sacrae Congregationi Concilii propositum fuit dirimendum sequens dubium: « Utrum, de Episcopi mandato, Ca-« pitulum diebus anniversariis electionis seu translationis et con-« secrationis eiusdem Episcopi teneatur tantum Missam solemnem « celebrare, an etiam eam pro Episcopo applicare ».

ANIMADVERSIONES. — *Caeremoniale Episcoporum* (lib. II, cap. 35 n. 1) statuit: « Singulis annis, in diebus anniversariis electionis « et consecrationis Episcopi Missam solemnem, vel per ipsum Epi-« scopum, vel per aliquam dignitatem seu canonicum, ipso prae-« sente, celebrari convenit ».

Quae convenientia, *accedente Episcopi mandato*, fit obligatio. Nam Sacra Rituum Congregatio ad dubium: « An Missa solemnis « in anniversariis electionis et consecrationis Episcopi sit *praecepti-« va* in Cathedralibus et Collegiatis dioecesis, licet *Caeremoniale « Episcoporum* (lib. II, cap. 35 n. 1) solum dicat: *celebrari con-« venit* », die 14 Augusti 1858 in *Granaten.* N. 3078 respondit: « *Affirmative, accedente mandato Episcopi* ». Huius Missae obligatio confirmatur in ipsis Rubricis servandis ad normam Constitutionis Apostolicae *Divino afflatu* Pii Pp. X diei 1 Novembris 1911, tit. XII (*A.A.S.*, vol. III, pag. 649).

Missae vero, de qua agitur, celebrationem, secumferre et obligationem eandem pro Episcopo applicandi eruitur ex canone 825 n. 4 Codicis Iuris Canonici: « Numquam licet... alteram recipere « eleemosynam pro sola celebratione, alteram pro applicatione eius-« dem Missae, nisi certo constet unam stipem oblatam esse pro ce-« lebratione sine applicatione ». Quae exceptio certo non exstat in casu: obligatio igitur Missam pro Episcopo applicandi logice continetur in ipsa obligatione celebrandi.

Quin immo, ne praesumi quidem potest Episcopum, Missae ce-

lebrationem praecipientem, ritum tantummodo exteriorem intendere et fructum Missae spiritualem excludere.

Quod confirmatur ex ipso *Caeremoniali Episcoporum*, quoad Missam pro Episcopo praedecessore defuncto, haec statuente: « Epi-« scopus vivens, praedecessoris sui proxime ante ipsum defuncti me-« moriam habere debet, et pro eius anima singulis annis in die « obitus anniversarium celebrare, vel saltem Missae pro eius anima « ab aliqua dignitate seu canonico celebrandae, praesens assistere « et in fine absolvere » (lib. II, cap. 36 n. 1).

Quo in loco nullum dubium quin Missae celebratio pro anima defuncti Episcopi et applicationem secumferat.

Resolutio. — Proposito itaque ut supra dubio, in plenariis Comitiis die 11 Novembris 1950 habitis, E.mi Patres huius Sacrae Congregationis responderunt: *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.*

Quam resolutionem in Audientia diei 22 eiusdem mensis et anni Sanctissimus Dominus Noster Pius Pp. XII approbare et confirmare dignatus est.

Franciscus Roberti, *a secretis.*

SACRA CONGREGATIO DE RELIGIOSIS

ADNOTATIONES

AD APOSTOLICAM CONSTITUTIONEM « SPONSA CHRISTI » diei 21 Nov. 1950.

NECNON ET AD CONSEQUENTEM INSTRUCTIONEM S. C. DE RELIGIOSIS diei 23 Nov. 1950.

(*v. textum in Monit. Eccles. vol. 76 (1951), pag. 62-82, 91-99*).

1. - Mystica Virginum Christo Domino mancipatio Ecclesiaque traditio primis christianis saeculis, sponte, ac potius factis quam dictis, perficiebatur. Cum autem virginitatis professio publice fieri coepisset arctioreque in dies vinculo confirmari, Ecclesia voluit ut solemni ritu consecrationis id fieret, ac vigilanti severa ascesi vitam virginalem ordinavit eamque ad statum iuridicum evectam, solidis regulis, vita communi et strictissima clausura communivit. Ita, usque ad exeuntem mediam aetatem, statum perfectionis pro mulieribus canonice receptum duae constituebant formae, monachalis nempe et canonicalis, ad imitationem status perfectionis virorum Monachorum et regularium Canonicorum. Quibus etiam deinceps accesserunt quotquot novarum institutionum sive regularium sive Congregationum quae vitam canonicam mulierum profitebantur, quamvis diverso spiritu diversaque ordinatione adstructae cum devotione plus minusve extensa ad opera caritatis et apostolatus suo sexui suoque iuridico statui accommodata. Volventibus autem saeculis impellentibusque necessitatibus societatis, etiam nonnulla antiqua Monasteria, recentiora imitando, vitae contemplationis et precis Liturgicae opera externae alicuius activitatis, probante ac prudenter moderante Apostolica Sede, feliciter aggeminarunt. Inde diversitas institutionum antiquarum et novarum, quarum nonnullae vitam contemplativam solam et strictam colebant, nonnullae vero ad haec vitam quoque plus minusve activam addebant.

2. - Haec, summatim relata, quoad tempus anteactum habet Apostolica Constitutio « Sponsa Christi », diei 21 nov. 1950. Verum, praesentibus temporibus, praesertim post immane recens bellum, Monasteriorum Sanctimonialium conditio tum oeconomice tum disciplinariter, ut Constitutio ipsa clare profert, miserrime immutata est. Romanus igitur Pontifex, per tramitem S. C. de Religiosis, huic

malo praesenti Constitutione mederi pro posse intendit, opportuna remedia adhibendo et nonnulla ingeniose prudenterque innovando. Jam immediate post promulgationem Codicis (1918), opera praesertim clarissimi ac desideratissimi P. Maroto C. M. J., occasione erectionis Canonicae Congregationis « Compagnia di Maria »B. Lestonnac, tentamen coordinationis inter Monasteria eiusdem spiritus, ad mutuum dumtaxat auxilium, factum est, manente solemnitate votorum actu existentium, clausura papali in episcopalem mutata. Attamen inde nulla Monasteriorum foederatio habita est cum sollemnitate votorum, nullusque Ordo foeminarum « centralizatus » exsurrexit, sicut iam antea factum fuerat in « Romana Ursulinarum Unione » quae ad formam Congregationis votorum simplicium redactae sunt, sed Institutum adhuc nomine Ordinis appellatur et sodales ex indulto nomen Monialium retinent. Ad totius enim instituti Monialium incrementum videbatur Constitutio unitaria plus minusve centralizata et canonice et disciplinariter et oeconomice necessaria. *Canonice* quidem, quia aliqua Monialium Monasteria, floridis foeminarum Congregationibus, Societatibus et Saecularibus Institutis comparata, ob clausuram et strictam separationem atque autonomiam singulorum Monasteriorum ad exstinctionem destinata, antiqua rigidiore canonica legislatione hodiernis temporibus sub certis aspectibus non amplius respondente, videbantur. *Disciplinariter* vero, quia adeo graves experiebantur difficultates Monasteria huiusmodi ad vocationes requirendas, excolendas, seligendas, tum ob socialem veluti gradum monasticae professionis in aestimatione communi, tum ob qualitates et instructionem candidatarum, quas invenire fas erat, tum ob deficientes relationes cum Ordinariis locorum, qui internas visitationes perficere propria auctoritate non poterant, et externas ad crates inefficaces et veluti formales, tantum occasione visitationis canonicae generalis dioecesis, faciebant, ideoque propria et opportuna remedia et exhortationes necessarias adhibere nequibant. *Oeconomice* autem, quid, ut Constitutio ipsa optime notat, « Nos movent, ait Romanus Pontifex, imo urgent, plenae quas habemus de re in singulis orbis partibus notitiae, certaque inde exorta cognitio gravis inopiae, in qua Moniales saepe, ne dicamus semper, versantur ». Momentosa ratio — Sunt enim Monasteria, quae « vix non fame, miseria, inedia pereunt »; quae, « ob domesticas difficultates, duram, nec plerumque tolerabilem, vitam ducunt »; quae ob strictam ab aliis separationem languescunt.

Cum igitur non liceat amplius actuali tempestate in dotibus Monialium pro earum sustentatione oeconomice confidere, cumque, ut plurimum, desint antiqua Monasteriorum bona aliaque fidelium emolumenta, quae frigescente populorum pietate notabiliter descrescunt aut penitus cessarunt, necessitas exsurgit imperiosa aliquam

activitatem laboris redditi tii, Monialibus aptandam nec ipsis indecoram, inveniendi, ut saltem possibilitas maneat vivendi et iuxta morem suum efficaciter in Societate actuali adlaborandi.

3. - Tot tantisque malis ac lamentatis incommodis ut mederetur, haec theorice aderant remedia:

a) Suppressio absoluta aut unio extinctiva, veluti absorptio unius indigentis Monasterii ab altero ditiore. Ubi enim nulla datur possibilitas aut spes sanae renovationis, omnino resecanda sunt Monasteria tum suppressione ab Auctoritate competenti decreta, tum adhaesione Monialium ad aliud Monasterium ditius, tum lenta consumptione et extinctione cum prohibitione novitias novasque candidatas recipiendi. Extrema quidem remedia, quae iustificari possent rationibus tum materialibus seu physicis, ut inopia absoluta cum impossibilitate vitae religiosae, tum spiritualibus externis, ut si deficeret Missa quotidiana vel fere deficientibus materialibus mediis et Sacerdotibus, vel si in loco non habeantur aut vix haberi possint prudentes ac docti Sacerdotes pro confessionibus Monialium audiendis, pro sermonibus et exhortationibus ipsis tradendis, etc.; imo et internis, ut si religiosa observantia ob varias rationes inemendabiliter desideretur aut opportuna accurata candidatarum religiosa formatio ob penuriam vocationum non habeatur.

b) Translatio Monasteriorum de uno in alium locum, ubi maior sit possibilitas vivendi atque salubriter operandi. Sane quandoque quod in uno loco impossibile videtur ob diversas circumstantias, puta ob destructionem Monasterii ipsius recentis belli causa, vel ob mutatum christianum sensum populi, in alio loco favorabiliores conditiones haberi possunt.

c) Innovatio totius instituti, ita ut Monasterium in Congregationem votorum simplicium cum centralizatione regiminis, favente Santa Sede, immutetur. Ita v. gr. factum est in Congregatione a Bono Pastore, in Unione Ursulinarum Romana, in diversis ramis antiquissimae ac ponderosae Familiae Benedictinarum praesertim in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis, etc. Quae innovationes, si fiant accurate, suavi modo et servata caritate, non raro ad id ducere possunt ut quod adhuc sanari possit, cum comprehensione et prudentia sanetur.

d) Foederatio Monasteriorum eiusdem spiritus eiusdemque regulae cum organizatione ad modum Congregationum Monasticarum virorum — in qua nempe, salva autonomia singulorum Monasteriorum atque localium Ordinariorum auctoritate, constituatur « superorganismus », ut ita dicam, cum potestate limitibus praecesis contenta, veluti ad clausuram, ad canonicas visitationes, ad determinatarum Monialium de uno in aliud Monasterium translationes, ad novitiarum solidam et actuosam efformationem, ad mutuum inter

Monasteria materiale ac spirituale auxilium, et ad similia: quae Codici auctoritative accomodata optimum quandoque remedium constituere possunt. Ut itaque foederationes huiusmodi finem suum attingant, necesse est ut variae sint pro diversitate spirituum et regularum, atque singulae consensu omnium expetantur et auctoritative statuantur. Quod enim omnes, uti singulos, tangit, ab omnibus probari debet (Can. 101 § 1, 2°). Unde aliae rigidiores, aliae suaviores sint oportet. Completae autem non sunt nisi in vertice habeant Superiorissam aliquam, quae, etsi munere Superioratus in aliquo Monasterio determinato foederationis fungatur, toti foederationi praesideat cum potestate bene definita ac praecisis limitibus circumscripta. Quae Superiorissa concurrentibus omnibus Monasteriis foederationis eligatur et ad tempus in iure particulari determinatum in Superioratu permaneat. Superiorissae adstet Praelatus ecclesiasticus a Sancta Sede nominatus, proponente virorum Ordine affini aut Cardinali Protectore: cuius munus ad adsistentiam spiritualem et, si opus sit, materialem et ad vigilantiam coarctetur, absque iurisdictione ecclesiastica, ne laedatur ius Ordinariorum locorum; esset enim Praelatus veluti Director spiritualis et moralis, veluti consiliarius Superiorissae, ad quem possent Moniales omnes recurrere, quique desiderata Superiorissae ad Sanctam Sedem transmittet ac commendat. Fere in omnibus dioecesibus nunc adest specialis Vicarius qui dicitur Monialium, cuius est cura omnium Religiosarum in diocesi. At potestas Ordinariorum non excedit limites territoriales dioecesis, ideoque non posset Monialium iste Vicarius munus Praelati exercere cum Monasteria foederationis non necessario intra fines dioecesis inveniantur. Immo hoc practice excluditur ob evidentes rationes. Bene igitur constare potest cum Praelato, cuius munus non iurisdictionale largius se extendit ac fines complectitur, qui Vircarium huiusmodi aufugiunt. Ad munus autem Praelati seligendus videtur vir probus et gravis primi Ordinis, qui experientia et doctrina polleat, quique, eodem spiritu enutritus, aptus sit ad finem institutionis consequendum. Eius tamen potestas practica in Statutis singularum foederationum est definienda.

In foederatione vero communis deberet esse novitiatus, cuius directio personalis toti foederationi pertineat pro selectione personarum quibus concredita esset novitiarum institutio et efformatio.

Foederatio insuper incommodo stabilitatis Monialium obviat, quod nempe, si opportunum fuerit, Monialis quaedam ex uno Monasterio ad aliud mitti potest intra fines foederationis, ut munera directiva, administrativa, educativa aliave ibidem exerceat.

Denique, foederatio, ut prosit, non multum extendi debet ideoque characterem regionalem vel ad summum nationalem habere debet.

Nec obstat difficultas clausurae. Etenim historicae rationes a

Sancto Pio V allatae, ut nempe castitas Monialium aptius servetur, praesentibus temporibus non tenent. Siquidem mutatae sunt sociales conditiones, et mulier castitatem servare potest seque immaculatam custodire, si vult, etiam absque altis muris aut cratibus solide constructis. Caeterum modernae vitae exigentiae gravissime incidunt in antiquam clausuram.

Fructuosa autem tentamina huius foederationis iam habita hic inde sunt: ut v. gr. apud Benedictinas Angliae, apud Benedictinas Beuronenses, in Statibus Foederatis Americae Septentrionalis, in regione Canadensi, apud Benedictinas SS. Sacramenti Mediolanenses, quarum unio iam adprobata optime iam fructificat, apud Benedictinas SS. Sacramenti de Ghiffa, apud Monachas Camaldulenses, apud Benedictinas de Viboldone, etc. Sunt insuper apud nonnullos Ordines, v. gr. apud Carmelitanos, Monasteria Monialium quae aliquo modo dicerentur provinciae primi Ordinis incorporata, quaeque a provinciali primi Ordinis certo modo dependent, salvis Ordinariorum locorum iurisdictione et iuribus. Porro nihil vetat quominus huiusmodi uniones Monasteriorum in foederationem constituantur, cum, adhuc deficiente, criterio systematico vere foederativo.

4. - Documenta pontificia, quae iam publicata fuerunt, sapientes continent innovationes; sed, intra ambitum Codicis et vigentis legislationis, intactam relinquunt naturam contemplativam Monasteriorum eorumdemque autonomiam quamvis foederationibus subiectam, et opportunas tradunt de re oeconomica suggestiones.

Duplici constat partibus Constitutio: parte nempe expositiva et doctrinali, et parte dispositiva seu Statutis.

Expositio praecedit historica ad summa capita reducta: a virginibus Deo sacratis ad categorias status publice in Ecclesiae recogniti (n. 2-3). Virginitas a Patribus laudata (n. 4-5) aliis quoque Evangelicis Consiliis augetur (n. 6) et in coenobis definitur ac bene regulatur (n. 7-9). Virginitatis in saeculo iam obsoletae (n. 10) coenobia hereditatem praeclaram recipiunt spiritualem vitam virginum continuantia (n. 11-13). Typus classicus vitae monachalis substantialiter immutatus manet etiam post Canonicos regulares et Mendicantes (n. 16-17) et post clericos quoque regulares (n. 20-21): disciplina rigida est et vita contemplativa. Novae quoque institutiones cum fine apostolatus caritativi (ut v. gr. Ursulinae, Sorores a Domina S. Johannae Lestonnac, Canonichissae S. Augustini S. Petri Fourier, Sorores a caritate Refugii S. Joannis Eudes, Sorores a Visitatione S. Francisci Salesii) proprium finem specificum legislationi vigenti ac praxi tunc temporis existenti sacrificarunt, circumstantiis temporis et loci sese accommodantes ac dispensationibus, accommodationibus, artificiis proprium finem, etsi modificatum, assequentes. Tempore autem prosequente aliae Moniales ad certam

formam Apostolatus reversae sunt. Quare, quaestio hodierna est ad harmoniam varias huiusmodi tendentias reducere opportunis innovationibus ac renovationibus.

Praesens igitur Constitutio praeprimis sibi proponit firmissimam custodiam et defensionem vitae contemplativae: elementa accessoria reliquuntur in fermento renovationis ut salva sit rerum substantia; et caritas erga Deum, quae in contemplatione potissimum explicatur, mirabili modo cum caritate erga proximum, quae potissimum in apostolatu residet, harmonice componitur ac coniungitur.

In nova itaque reformatione vita contemplativa praevalet (n. 28), cuius essentialis nota in votis sollemnibus invenitur (n. 29), posthabita praxi contraria ex dispensatione apostolica ab historicas et politicas rationes statuta, tum quia odiosa utpote exceptio contra legem, tum quia practice sine fundamento, experientia teste; clausura papalis manet, sed dupliciter consideratur, aut nempe rigida conservatur (*maior*) aut aliquantisper emollitur (*minor*), intra ambitum Can. 599 § 1 (n. 30-32). Cum autem autonomia absoluta et separatio non amplius faveant rectam Monasteriorum evolutionem, sed plerumque eidem noceant, ad foederationes et uniones recurritur, quae non *contra* sed *praeter* ius vigens sint, cum consequenti emollitione seu potius accommodatione autonomiae singulorum: ex quibus foederationibus et unionibus gravia commoda sperari possunt. Praecipua igitur et essentialis innovatio est foederatio cum Praelato ecclesiastico vel religioso Adsistente (n. 33). Labor autem materialis, qui praescribitur, consideratur veluti medium poenitentiae et simul substentationis (n. 34-35); parvae industriae et artificia, quae in aliis casibus viderentur non apta aut non convenientia statui Monialium, quaeque harmonice cum vita contemplativa componi possint; Apostolatus (n. 36-38) in exemplo, in oratione et in sacrificio personali principaliter consistere debet.

5. - Statuta peculiaria 9 articulis continent normas practicas et speciales, quibus totum institutum et dirigitur, et ordinatur et in melius innovatur. Siquidem, descripto in primo articulo ambitus Statutorum ipsorum, in secundo notio datur vitae contemplativae canonicae, in tertio vota sollemnia considerantur, in quarto clausura, in quinto chorale officium, in sexto autonomia, in septimo independentia singulorum intra ambitum foederationum, in octavo labor monasticus et in nono activitas apostolatus.

Praecisior praeprimis datur notio Monialium quam quae in Codice habetur (Can. 488, 7°): Monialis est quae in Monasterio, in quo vota sollemnia vel actu nuncupantur vel ex instituto emitti deberent, vota emisit professione sive sollemni sive simplici etiam temporaria (art. 1 § 1). Exceptiones *certo* constare debent. Quare haberi possunt Moniales, quae professionem tantum simplicem emit-

tunt (caeterum, ante professionem sollemnem et Moniales emittere debent professionem temporariam quae vere simplex est); quae etiam ad clausuram Pontificiam *minorem* adstringantur in Monasteriis suis praescriptam aut legitime concessam; quae ad exercitium operum apostolatus quod ex instituto aut apostolico praescripto vel concessione, cum vita contemplativa coniunctum sit, rite devoventur. Nec omnino necesse est ut omnes Moniales vota sollemnia Monasterii emittant, sed sufficit ut tantum una earum classis seu categoria emittat (art. 3 § 1). Insuper, mulieres omnes quae in Monasterio ita ordinato profitentur, sunt in genere Regularium et Regularium appellatione et iuribus, quatenus iisdem capaces sunt, fruuntur (Can. 490). Monialibus denique reservantur sollemnes antiquae formulae consecrationis Virginum Pontificalis Romani (art. 3 § 3): quibus verbis etiam aliis Monialibus, praeter eas quae dictis formulis usque modo utebantur, formulae illae extenduntur, ita ut singula Monasteria harum extensionem petere possint easque rite adhibere.

Vita contemplativa canonica illa intelligitur « exterior disciplinae religiosae professio quae, sive ex clausura, sive ex pietatis, orationis mortificationisque exercitiis, sive denique ex laboribus quibus Moniales incumbere debent, interiori contemplationi ita ordinatur, ut eiusdem studio tota vita totaque actio et facile valeat et efficaciter debeat imbui ». Iuridica igitur disciplinae huiusmodi professio totam vitam totamque actionis et seclusionis et laboris interni et externi rationem informare debet; quod est veluti punctum saliens ut vita contemplativa canonica dicatur. Quodsi *habitualiter* non servatur, aut Monasteriis non conceditur aut aufertur ab eis character monasticus.

Vota autem sollemnia, etsi emissa ab una tantum Monialium categoria, constituunt characterem praecipuum distinctionis inter Ordines Regulares et Congregationes religiosas et Societates in communi viventium. Quae sollemnia vota omnino necessaria sint in nova Monasteriorum disciplina, ita ut aut iterum ex Apostolica auctoritate instauranda, si desint, aut iterum suscipienda sint, si omissa. Recognoscitur tamen possibilitas abstracta manendi, ad tempus, in Monasterio absque votis sollemnibus: « nisi prorsus graves obsint rationes » (art. III § 2). Quae rationes, sicuti antea, ex oppositione iuris civilis loci (S. C. de Rel. 23 iun. 1923) repetendae sunt, eaeque tamquam graves a S. C. de Religiosis recognoscendae videntur, cum nova lege vota sollemnia ubi desint iterum instauranda ac suscipienda sint. Et revera vota sollemnia strictius solidiusque indicant vinculum Monalium cum Deo, cuius deficientia graviter persentitur.

6. - De clausura papali Monialium nova disciplina instauratur. Haec enim art. IV Statutorum in *maiorem* et *minorem* dispescitur. Maior, nempe stricta et rigida quae in Codice (Can. 600-602) describitur, quaeque accurate definitur in Instructione S. C. de Religiosis 6 febr. 1924, immutata manet, immo confirmatur, sed simul recognoscitur opportunitas seu necessitas alicuius facilitatis in dispensationibus concedendis et datur facultas S. Congregationi pro hac indulgentia « Ut, rei natura incolumi, nostri temporis adiunctis aptius eadem (clausura Maior) accommodetur » (art. IV § 2, 1°). Ipsa insuper ordinarie retineri debet tamquam obligatoria in Monasteriis quae vitam contemplativam *unice* profitentur (ibid., 2°) et in quibus vota sollemnia emittuntur (Instr. S. C. de Rel. 23 nov. 1950, art. V). Ad dispensationes quod attinet, normas generales tradit eadem Instructio art. VIII et IX. Denique confirmantur poenae quae in violantes Monialium clausuram statuit Codex Can. 2342, 1° et 3°.

Clausura papalis minor est quae ordinarie viget et retinenda est in Monasteriis, in quibus vel vota tantum simplicia profitentur, vel vita contemplativa non unice colitur sed aliqua externa laboris aut apostolatus activitate moderatur seu cum eadem harmonice componitur. Haec igitur essentialia tantum elementa, seu generalia et fundamentalia, retinet clausurae papalis Monialium, elementa nempe quibus ipsa differt tum a clausura Congregationum, quae episcopalis dicitur (Can. 604), tum a clausura Ordinum virorum (Cann. 598; 599). Quare ipsa praeprimis debet esse custodia castitatis sollemnis, secura quidem et omnibus manifesta, protectio insuper et incrementum efficax vitae contemplativae, quae harmonice componatur cum ministeriis externis seu cum extraneis, in quae plures Moniales et notabilis pars Monasterii habitualiter incumbant, ut v. gr. in educandatu puellarum, in clinica curationum, in opificio vestibus sive sacris sive profanis conficiendis destinato, in typis exercendis, in scholis ad catechismum, ad praeparationm puerorum puellarumque ad primam Communionem, et simillibus. Harmonia ita ordinari debet, ut salva sit omnimodo vita contemplativa non solum Monasterii sed et ipsarum Monialium quae his ministeriis addicuntur, et ministeria ipsa rite et fructuose exerceri valeant.

Ministeria huiusmodi iam variis Ordinibus concessa antea fuerant simulque data fuerant praecepta ad harmoniam statuendam. Ita v. gr. in rescripto S. C. de Religiosis De instituendo Collegio pro educatione puellarum penes Monasterium Monialium Ordinis S. Dominici continentur « Normae pro scholis habendis puellarum diurno tempore intra clausuram Monasterii »: [1] pars Monasterii ad scholas

[1] Quas videsis apud *Comm. pro Rel.*, 1935 p. 419 s.; et apud *Periodica*, 1935 p. 78-81.

destinata separata sit a caeteris partibus quae Monialibus inserviunt; puellae per externam ianuam accedant, Moniales vero scholis regendis et praesidendis destinatae per ianuam internam, quae habitualiter clausa sit et apte custodiatur a Moniali determinata; nec puellae aut quaecumque laicae mulieres etsi scholis addictae omnino per Monasterium ambulare possunt aut etiam in Monasterium prospicere, seu in loca clausurae obstricta; et ita porro. Omnia igitur ita disponenda sunt ut nullum detrimentum vita regularis Monialium patiatur. Quod iam generalibus verbis praecipiebatur in Can. 599 § 1 pro clausura Regularium virorum, qui clausurae quoque Congregationum applicatur (Can. 604 § 2), quique rigide et fideliter observandus praescribitur pro clausura papali minore Monialium.

Haec itaque clausura minor graviter prohibet, sub poena excommunicationis latae sententiae S. Sedi simpliciter reservatae quemlibet ingressum et admissionem quorumlibet extraneorum, cuiusvis generis, conditionis, sexus atque aetatis (Can. 600), intra partes Monasterii Monialibus exclusive destinatas; quemlibet insuper egressum Monialium professarum extra septa Monasterii, sub poena pariter excommunicationis latae sententiae S. Sedi simpliciter reservatae vel, ex expressa concessione Apostolica, Ordinario loci reservatae. Dispensationes circa hanc materiam iam praevisa sunt et pari iure reguntur ac dispensationes pro ingressu et egressu clausurae papalis maioris.

Communicationes vero intra septa Monasterii, sed inter partem communitati Monialium destinatam et partem operibus apostolatus et ministeriis addictam his normis regitur:

1. - Moniales, operibus quomodolibet destinatae, adhibitis cautelis possunt, ex venia Superiorissae, egredi e partibus Communitati reservatis et loca operibus destinata ingredi;

2. - Moniales e contra illegitime, idest si operibus nullo modo destinantur et absque venia Superiorissae egrediantur et ingrediantur, id facientes, a Superiorissa vel ab Ordinario loci pro gravitate culpae, seu proportionatis poenis, plectendae sunt;

3. - Ingressus habitualis extraneorum licet alumnis seu alumnabus, aliisque in quorum favorem ministeria excercentur, et mulieribus tantum quae, ministeriorum ratione et occasione, cum ipsis relationem habere necessario debent;

4. - Exceptiones necessariae v. gr. ex impositione legum civilium pro natura operum, aliaeque, si quae quandoque ex peculiaribus contingentiis vere necessariae videantur, Ordinario loci reservantur, qui generali seu habituali aut speciali et expressa concessione eas accurate definiat;

5. - Illegitimus, seu non supradictis rationibus iustificatus, extraneorum ingressus eorumque introductio aut admissio ab Ordi-

nario loci *severe* (*seu* dictio est augmentativa) pro gravitate culpae, poenis scil. proportionatis, puniantur;

6. - Aliae quaecumque dispensationes et exceptiones S. Sedi reservantur, sed Ordinariis locorum facultates delegari possunt plus minusve latae. Similes facultates pariter, ut credimus, concedi possunt et Adsistenti foederationi dato.

Denique, clausura saltem minor est quoque nota characteristica et conditio sine-qua-non ut in posterum Monasteria Monialium talia ad normam iuris (Can. 488, 7°) habeantur. Unde nec Monasteria nec Moniales sine clausura saltem minore haberi possunt. Quod si certo appareat in aliquo Monasterio clausuram saltem minorem ex more servari non posse, Monasterium illud in domum vel Congregationis vel Societatis mutandum erit, vota sollemnia, quae habeantur, adimenda sunt, et nomen ipsum Monialium prohibendum.

De facto, numerosa Monasteria, ut historice constat, fuerunt decursu saeculorum in Congregationes mutata, ut Monasteria a Bono Pastore Andegavensia, Monasteria Elisabethinarum Germaniae, nonnulla Monasteria Benedictinarum Belgii, etc. [1].

7. - Officium chorale cum Missa conventuali quotidie in Monasteriis Monialium habendum est (Statutorum art. V). Ad id tamen solae Moniales, tum sollemniter tum simpliciter professae, lege generali deputantur (Can. 610). Quare Statuta praescribunt: 1) ut in omnibus Monasteriis Monialium Officium chorale habeatur; 2) ut singulae Moniales, tum sollemniter tum simpliciter professae, huiusmodi Officium rite persolvant; 3) ut Moniales quae a choro abfuerunt quaeque sollemniter professae sunt, Officium idem privatim persolvant; 4) ut Moniales quae vota simplicia tantum emiserunt, si a choro absentes fuerint, non stricta lege generali, salvis tamen iuribus particularibus, ad privatam Officii recitationem obligatas se considerent; ad id tamen fideliter faciendum graviter hortantur maxime Moniales perpetuo professae. Antiqua disciplina Moniales, quae in certis regionibus vota simplicia dumtaxat emittebant, tantum vi Constitutionum ad obligationem chori obstringebat (*S. Paenitentiaria Ap., 26 oct. 1858*).

Ad normam Can. 610 § 1, obligatio chori urget, dummodo sint saltem quattuor Moniales choro obligatae et actu legitime non impeditae seu actu expeditae.

Missa quoque conventualis erit celebranda tamquam officii choralis pars integrativa, si possibile erit habere Sacerdotes Cappellanos (Can. 610 § 2).

---

[1] De Clausura historice et practice considerata opportune et fuse disserit G. Valera. *La clausura papal de las Monjas* in *La Nueva Disciplina Canonica sobre las Monjas*, Madrid, 1951, pp. 105-122.

8. - Monasterium sui iuris apud Moniales est illud quod proprio iure regitur per Antistitam, seclusa alia qualibet Superiorissa, sub iurisdictione et dependentia Ordinarii loci et si adest, Superioris regularis. Consequitur inde quod Antistitae singulorum Monasteriorum sint in iure Superiores Maiores, omnibusque Superiorum Maiorum facultatibus, quarum ipsae sint capaces, donentur (Can. 490).

Autonomia igitur Monasteriorum Monialium praeprimis circumscribitur ac definitur iure communi seu Codicis, praesentis Constitutionis aliarumque Apostolicae Sedis dispositionum, iureque particulari seu regulae et Constitutionum ac traditionum singulorum Monasteriorum. Cum autem, iure saltem canonico, mulieres incapaces sint recipiendae et exercendae ecclesiasticae iurisdictionis, singula Monasteria subiacent iurisdictioni Ordinarii loci, et, si exempta, in aliquibus subiiciuntur, cumulative aut exclusive, Superioribus regularibus. Prasentis Constitutionis Statuta expresse declarant (art. VI) se nihil omnino innovari in hac materia, ita ut etiam foederationes cum tutela iuridica Ordinariorum locorum et cum relationibus inde provenientibus sive cum Ordinariis iisdem sive cum Superioribus regularibus apprime componi debeant.

Denique autonomia singulorum Monasteriorum iuridicam quoque plenamque secumfert distictionem atque independentiam unius ab altero nec non et a primo Ordine, cui tamen iure possunt esse subiecta, praeter vincula naturae omnino spiritualis et moralis. Huiusmodi autem distinctio et independentia intacta manent etiam in foederatione.

9. - Forma foederativa inter Monasteria non est nova in Ecclesia. Jam in IV Conc. Lateranensi (1215) cap. 12, Innocentius III voluit certam unionem inter Abbatias eousque complete independentia atque autonoma inducere (c. 7. 3, 55). Pariter Benedictus XII (*Summis Magistri*, 20 iun. 1336) unionem in « provincias » praescripserat Monasteriorum, quae distincta atque independentia manserant, Benedictinorum Nigrorum, ad effectum celebrationis Capitulorum Generalium. Ad eundem effectum Conc. Tridentinum (*Sess. 25 de Reg. c. 8*) sibi unionem proposuerat omnium Monasteriorum adhuc liberorum et immediate subiectorum, salvis iuribus, praerogativis et autonomia singulorum.

Inde evolvitur iuridicus conceptus Congregationis Monasticae in forma foederativa cum paritate iurium et obligationum singulorum Congregationis Monasteriorum et cum subsistentia singolorum internae et externae organizationis. Ita v. gr. fit in Congregatione Monastica Gallica Solesmensi, in Congregatione Beuronensi, in Congregatione Americana Casinensi, etc. Quandoque autem foederatio evoluta est in forma plus minusve « centralizata », sicuti v. gr. est

in Confoederatione Benedictionorum, quam Leo XIII Brevi *Summum Semper*, 12 iul. 1893, recognovit ac sancivit, inter 13 Congregationes Monasticas, quibus aliae duae ulterius additate sunt, nempe Belgica ab Anuntiatione (1920) et Slava S. Adalberti (1945): in qua Confoederatione magna manet singulis Congregationibus confoederatis autonomia regiminis, legislationis et disciplinae.

Rebus sic stantibus, malis iam pro Monialium Monasteriis lamentatis remedium foederationis praesto erat.

Foederatio igitur concipitur hic veluti organismus superior, veluti centrum unitatis spiritualis atque idealis, quod, salvis iuribus et praerogativis singulorum Monasteriorum et salva organizatione interna eorumdem, obtineat effectum principalem mutui auxilii inter Monasteria confoederata, in eis quae formationem et translationem subiectarum, oeconomiam generalem et particularem, vigilantiam in disciplina et administratione, necnon et singulorum Monasteriorum activitatem apostolicam concernunt.

Affirmant praeprimis Statuta (art. VII) possibilitatem et libertatem foederationum (quae a S. Sede non imponuntur sed tantum « valde commendantur ») et reservationem apostolicam constitutionis cuiuscumque formae foederativae. Quare, si, attente consideratis commodis et utilitatibus foederationis, eam petitione optent singula Monasteria foederanda, S. C. de Religiosis re mature perpensa foederationem ipsam concedet, statutis pro singulis casibus modalitatibus ad normam praesentis Constitutionis atque adnexae Instructionis.

Principia igitur generalia ita enunciantur in Statutis:

1. Qualibet foederatio aut confoederatio proprias leges habebit propriamque formam plus minusve strictam, etiam ad exemplum foederationum Congregationum monasticarum et Ordinum sive Canonicorum sive Monachorum.

2. Foederationes, ita effectae, erunt iuris pontificii.

3. Cuique erectae foederationi praeponitur, *prout casus ferat*, Adsistens religiosus, cuius munus triplex erit:

a) S. Sedis auctoritatem et vigilantiam iuxta facultates eidem commissas exercere;

b) conservationem genuini spiritus proprii Ordinis fovere;

c) Superiorissas in recto et prudenti foederationis regimine opera et consilio adiuvare.

4. Statuta singularum foederationum conformari omnino debebunt praecisis normis S. C. de Religiosis et naturae, legibus, spiritui et traditionibus proprii Ordinis; insuper, bene definire debebunt fines per foederationem attingendos mediaque indigitare quibus fines ipsi attingendi erunt.

In Instructione Constitutioni adnexa haec generalia foederationum principia praecisioribus normis clariusque explicantur.

Foederationes non imponuntur quidem ex regula, sed in casibus peculiaribus possunt ab ipsa S. Congregatione ad mala praevenienda et ad commoda consequenda tamquam necessariae aestimari (art. XVII): unde evidenter et praecipi.

Foederationes debent in propriis Statutis rationem habere subiectionis, si quae habeatur, singulorum Monasteriorum foederatorum Superioribus Regularibus (art. XVIII).

Si de facto habeatur inter Monasteria confoederanda quaedam saltem inchoata unio vel foederatio, haec ad mentem praesentis Constitutionis erit perficienda (art. XIX).

Nisi expressa fiat derogatio, iura et potestas Ordinariorum locorum et Superiorum regularium salva tectaque manent in foederatione (art. XX).

Immo haec augeri possunt circa foederationem ipsam (art. XXI), ad normam Statutorum foederationis aliarumque Apostolicarum dispositionum.

Fines generales ac praecipui foederationis ita expenduntur:

a) ius et officium mutui fraterni adiutorii in regulari observantia, in rebus oeconomicis et in aliis omnibus;

b) novitiatus communes pro casibus necessitatis solidioris et aptioris subiectarum efformationis proque aliis adiunctis;

c) ius et obligatio, certis normis definita, petendi ac mutuo sibi sibi concedendi Moniales ad regimen et formationem aptas;

d) possibilitas et libertas mutuae temporariae subiectarum communicationis aut destinationis ratione infirmitatis aliusve moralis vel materialis necessitatis (art. XXII).

Characteres et notae foederationum hae a S. Congregatione indigetantur (art. XXIII):

1. Dependentia ab Apostolica Sede, upote entia iuris pontificii, salvis iuribus Ordinariorum in Codice contentis; quae plerumque expendetur per Adsistentem religiosum, cui facultates speciales delegari possunt.

2) Regionalitas, pro faciliore regimine atque ad vitandas difficultates quae maxime tempore belli exurgere possunt.

3. Uniformitas, quatenus foederatio componi debet ex Monasteriis eiusdem Ordinis eiusdemque internae observatiae; possunt tamen Monasteria confoederanda esse diversis Ordinariis et Superioribus subiecta, et nihil refert utrum vota sollemnia an simplicia emittant, aut clausura maiore an minore adstringantur.

4. Praevidentur, e necessitate, magna utilitate aut Ordinum traditione, Confoederationes foederationum.

5. Derogationes autonomiae essentiali singulorum Monasteriorum, si necessariae aut opportunae videantur, consensu singulorum Monasteriorum indigent ex noto principio: quod omnes, uti singulos, tangit, ab omnibus probari debet (Can. 101 § 1, 2°).

Statuta singularum foederationum accurate definire debent fines proprios; regimen, modum ad regiminis munera designandi, regiminis potestatem; media ad fines consequendos; condiciones quibus principia generalia in Apostolica Constitutione indicata ad exsecutionem mandentur; conditionem iuridicam Monialis ad aliud Monasterium translatae; cooperationem oeconomicam ad opera communia; regimen novitiatus communis aliorumque communium operum (art. XXIV).

Adsistens religiosus, si foederationi dandus videatur, nominatur a S. Congregatione, auditis iis quorum interest; eius officia ex documento nominationis patere debent, ad mentem Apostolicae Constitutionis, praeter alias facultates quas S. Sedes eidem delegare aut committere potest. Ipse quoque munere veluti *Adsessoris* fungetur (art. XXV) [2].

10. - Novitas certe magni momenti haec de Adsistente religioso in nova de Monalibus disciplina. Solet quandoque S. Sedes varios Visitatores Apostolicos necnon et Delegatos apud Religiones, praesertim foeminarum, mittere, sive ut visitent ac referant sive ut Superiores ordinarios temporarie aut permanenter substituant, sive etiam ut Superiores ipsos consilio et opera morali adiuvent. Visitatoribus proinde ac Delegatis Apostolicis nova accedit creatio Adsistentis religiosi pro Monialibus: apud quas ipse veluti maternitatem Ecclesiae, cuius donum Monialibus extat, repraesentat, nec mansiones gubernii proprie exercet, ex quibus fiat aliquantisper odiosus. Cum autem Adsistentis religiosi sit etiam genuinitatem spiritus Fundatoris in foederatis Monasteriis conservare, etsi absolute loquendo possit Adsistens huiusmodi sacerdos esse e clero diocesano aut alius Religionis, aptius et convenientius seligendus est, saltem ordinarie, inter sacerdotes prudentes et graves primi Ordinis, atque a S. C. de Religiosis nominandus sed praevia praesentatione Superiorum Ordinis, qui melius qualitates eius noscere possunt, quibus ad officium aptus aestimetur.

Nulla absoluta necessitas adest Adsistentis religiosi ita ut dari possit theorice foederatio sine Adsistente; nihilominus, magna ex huiusmodi adsistentia utilitas portenditur; ideoque, saltem in sua

---

[2] Longe lateque disserunt de foederationibus Gr. Martinez de Autoñaña, *Federación de Monasterios* in *La Nueva Disciplina Canonica sobre las Monjas*, op. cit. pp. 123-131; et M. Diaz, *Los Estatutos de las Federaciones*, ibid., pp. 137-148.

constitutione, videretur quod omnis foederatio eo indiget. Nec Adsistens singulis datur Monasteriis, sed foederationi qua tali. Tempus pariter officii non determinatur in documentis, sed ad mentem Codicis (Can. 505) officium temporarium etiam Adsistentis videtur esse.

Adsistens insuper religiosus est veluti medium per quem foederatio coniungitur cum S. Sede; ei igitur pertinet et relationes annualem et quinquennalem transmittere et dispositiones S. Sedis foederationi notas facere atque ut ad executionem mittantur opportune curare. Cum Ordinariis vero locorum relationes Adsistentis pertinent ad prudentiam et ad caritatem; Ordinarii enim locorum nihil omnino possunt in foederationem qua talem; et in singulis Monasteriis foederatis id tantum possunt quod in Codice continetur; Adsistentis autem potestas non in singula Monasteria per se, sed in foederationem qua talem exerceri debet. Prudentia pariter et caritas adhiberi debent in relationibus Adsistentis cum Superioribus regularibus singulorum Monasteriorum, quorum tamen iura in Codice stricte continentur.

Denique, Adsistens religiosus non est vere Superior foederationis, quae propriis Superiorissis regitur; sed eis *moraliter* adsistit quatenus consilio et opera efficaciter bonum foederationis promovet, in iis praesertim quae supra notavimus et ex Constitutione et Instructione desumpsimus. Si quid amplius etiam auctoritative potest, id unice ex litteris nominationis desumendum est et ex eventualibus specialibus delegationibus.

11. - De labore Monastico agunt art. VIII Statutorum et insuper duo ultimi articuli Instructionis.

Affirmata necessitate et obligatorietate laboris monastici pro Monialibus vitae contemplativae atque eiusdem laboris ad speciale vitae genus aptitudine (Stat. Art. VIII § 1), functio labori eidem adsignatur, ut nempe concurrat cum aliis subsidiis ad securam et convenientem Monialium substentationem (ibid. § 2). At, monet Instructio (art. XXVI), non anxie debent Moniales vel leviter aut ex arbitrio media ad vitae substentationem per quemcumque laborem quaeritare; sed, dum promptae esse debent ad humiliter sese necessitatibus subiiciendum, prudenter agere et nonnisi ex ecclesiastica religiosaque auctoritate laborem sibi quaerere et adsumere debent.

Quapropter vehementer hortantur Superiores ecclesiastici et religiosi, immo etiam Superiorissae, ut pro suo officio curent quod necessarius, adaequatus ac proficuus labor numquam Monialibus desit; ipsaeque Moniales prae oculis habeant necessitatem et laborandi unde sibi victum honeste procurent, et habiliores in dies se

[4] Cfr. A Gutierrez, *El Asistente religioso* in *La Nueva Disciplina Canonica sobre las Monjas*, op. cit., pp. 149-160.

reddendi ad diversa opera (Stat. art. VIII § 3). Superiorum ecclesiasticorum et religiosorum insuper est curare et invigilare ut labor conveniens ipse non desit, ut iusto pretio retribuatur, utque opportune coordinetur inter Monasteria foederationis, ad effectum mutui adiutorii oeconomici (Instr. art. XXVII).

Graves, uti diximus, sunt hodie conditiones oeconomicae non paucorum Monasteriorum, ex diversis certe rationibus contingentibus exurgentes. At labor non solum in praesenti Constitutione indicatur tamquam medium ad substentationem, sed etiam tamquam officium paenitentiae et satisfactionis; tamquam generale instrumentum quo animus et a periculis servetur et ad altiora evehatur, quo et opera caritatis excercentur; tamquam denique norma et lex praecipua vitae religiosae. Unde, si aeterna respiciantur, si sancto proposito suscipiatur, si ex oboedentia capiatur cum voluntaria sui castigatione, labor potens ac constans erit omnium virtutum exercitatio, atque pignus suavis efficacisque coniunctionis vitae contemplativae cum activa. Quomodo labor materialis cum oratione coniungatur fuse ostendunt Patres et Theologi et tota traditio vitae religiosae [1].

12. - Quod, denique, ad apostolatum attinet, ad aliam nempe formam spiritualis Monialium laboris, haec praescribunt Statuta generalia:

1) Moniales, quae iam determinato externo apostolatui attendunt, id sancte fideliterque servent: sunt enim Ordines et Monasteria v. gr. Visitandinarum, Ursulinarum Dominicanarum, etc. quae traditiones educativas magni valoris habent;

2) Moniales e contra vitae tantum contemplativae non debent apostolatui externo, nisi per exceptionem et in casibus peculiaribus a Sancta Sede probandis, sese devovere; quod si istae quoque Moniales iam in suis traditionibus aliquam habeant vel habuerint specialem externi apostolatus formam, eam hodiernis necessitatibus aptent, retineant aut readsumant, salva semper ipsarum vita contemplativa (Stat. art. IX).

Revera etiam S. Teresia ex principio apostolatui favebat Monialium a se reformatarum. Pro certis igitur Monialibus nulla est innovatio facienda circa apostolatum; multae enim mansiones sunt in Ecclesia, et aliae Moniales unice ad vitam contemplativam attendere, circumstantiis permittentibus, aliae etiam opera apostolatus externi vitae contemplativae coniungere possunt. At gravissimae rationes hodie ad externam apostolatum etiam Moniales urgent; ra-

[1] Cfr. v. gr. S. Augustini De opere Monachorum. Largiora commentaria requiri possunt apud Exc. A. Tabera, *El trabajo monastico* in *La Nueva Disciplina Canonica sobre las Monjas*, op. cit., pp. 161-173; et apud *C. Mesa. Sugerencias practicas sobre el trabajo monastico*, ibid. pp. 174-188.

tiones quas opportune et diligenter examinat atque ad trutinam revocat *T. Torre* [1].

Omnibus certe Monialibus incumbuit gravis obligatio apostolatus interni, qui in bonis exemplis perfectionis christianae, in orationibus et sacrificiis consistit. Sed hic loquimur de apostolatu externo, ad quem specifice etiam Moniales debent sese opportune devovere sive ex Constitutionibus, sive ex Monasterii sui traditionibus, sive etiam, quasi per exceptionem, ex necessitate contingenti.

13. - Breviter itaque has observationes et explicationes ad documenta Apostolica concludentes, notamus Constitutionem Apostolicam esse veluti primum fructum illius Magni Congressus, ad quem Romam undique eminentiores viri in statibus perfectionis militantes confluerunt, ut simul de accommodanda temporibus adiunctisque religiosa renovatione amplissime diebus 26 nov. - 8 dec. Anni Sancti praeterlapsi tractarunt, quo perdurante et praefata documenta prodiere. Gravissimae sane et geniales sunt innovationes, quae Augusta Documenta afferunt in vita contemplativa canonica Monialium, quaeque, si plene, ad mentem Romani Pontificis atque S. C. de Religiosis, ad praxim deducantur, absque dubio fructus opimos saluberrimosque referent. Quibus innovationibus adhuc manifesta apparet materna Ecclesiae erga status perfectionis sollicitudo, quae a Romano ipso Pontifice ad praefatum Congressum hisce verbis indicabatur: « Mater amantissima Ecclesia, quemadmodum hactenus nullo non tempore, item impraesentiarum, religiosam vitae perfectionem publice agnoscit, ac summopere fovet et promovet, cum per eam adumbrata eius multiplicis sanctitatis imago mire prodatur et manifesta quadamtenus appareat, valida iustis ad virtutes excolendas hortatio ac suave sontibus ad sequendam probitatem incitamentum » (*Ad E.mum Card. Praefectum S. C. de Religiosis*, 12 nov. 1950).

Sed adhuc bonum videtur unum verbum addere ad necessitates regularis observantiae in Monasteriis Monialium, quaestiones, etsi minoris momenti, passim tangendo et indicando. Omnes probe sciunt esse in Monasteriis personarum distinctiones, quae quandoque, praesertim hodiernis « democratiae » temporibus, non solum classes (choristas, conversas, sorores externas), sed etiam animos dividunt. Absque dubio in spiritu Ecclesiae agerent illa Monasteria, quae historicas distinctiones ita caritate et prudentia attenuarent, saltem externe ut v. gr. in vestibus et signis, in refectorio, etc., ut ex Monasterio omnes una voce in caritate harmonice composita ad Patrem clamarent et uberrimos fructus ex precibus et sacrificiis singularum concordibus mundo universo derivarent.

AUGUSTINUS PUGLIESE

[1] *Vita contemplativa y Apostolado* in *La Nueva Disciplina Canonica sobre la Monjas*, op. cit. pp. 86-104.

EPISTULA

AD SUPREMOS RELIGIONUM MODERATORES UT AD ROMANUM PONT. INSTITUTUM MUSICAE SACRAE QUOSDAM ADLECTOS ALUMNOS MITTANT.

Prot. N. 2545/51.

Quam multum saeculis ante actis, sicut et de caeteris optimarum artium studiorum regionibus, ita et de musicae sacrae studio bene meriti sint Ordines Congregationesque religiosorum, nemo est qui ignoret.

Nec mirum, quippe quod religiosi homines, communi commodo Ecclesiae sese devoventes — inde ab aevo quo monasteria, per latissimas orbis catholici oras, fere una videbantur lux in tenebris fulgens, usque in praesens, cum Congregationes virorum ac mulierum, superiori nostrove tempore ortae, necnon Instituta saecularia, novis apostolatus formis, spiritum vitamque ipsam religiosam, veluti Divinum fermentum, mundo in maligno posito admovent vel potius iniiciunt — idonei prorsus inveniuntur testes de musicae veri nominis sacrae momento ad Cultum Deo debitum promovendum mentesque fidelium in Deum erigendas.

Verum tamen, non omnes Religiosae Familiae patrum vestigiis, quod ad hoc propositum attinet, fideliter constanterque adhaeserunt; quinimmo, sensim sine sensu, veluti quadam levitate, huc illuc deviationes a recto tramite et maiorum traditionibus inductae sunt.

Quapropter, haec S. Congregatio, etiam huius thesauri custos pervigil, non potuit quin in mentem revocaret Superiorum Maiorum Apostolicae Sedis de hac re documenta, inter quae notatu dignae exstant praescriptiones Constitutionis Apostolicae « Divini Cultus Sanctitatem » a S. P. Pio XI fel. rec. die 20 decembris a. 1928 datae.

Ipsamet S. Congregatio officii sui insuper duxit Supremis Religiosorum Moderatoribus adhortationis Eiusdem S. Pontificis mentionem facere atque perfectionem ita urgere ut ipsi ad Romanum Pontificium Institutum Musicae Sacrae quosdam saltem adlectos alumnos suos mittant, vere spiritu liturgico imbutos peculiarique musico ingenio praeditos, qui, transacto de more tyrocinio, inter Religionis sodales suae « apostolatum liturgico-musicalem », postea, explicare valeant.

Non est dubium quin eiusmodi in hac re agendi ratio religiosorum, religiosarumque Familias, quatenus opus erit, compotes par-

ticipesque in dies magis efficiet genuini Ecclesiae sensus, amovendo novas notiones et insolitas, ususque alienos.

Faxit Deus, Servi Sui Pii X Pontificis Maximi precibus, Religiosas ipsasmet Familias omnes ita S. Sedis adhortationibus inhaerere ut musica sacra in honore debito apud easdem maneat et veluti canora vox atque enuntiatio agnoscatur ferventis illius charitatis qua singulae Deum O. M. prosequuntur.

Dum vota in Domino profero, tibi addictissimum me profiteor.

Romae 11 aprilis 1951.

Arcadius Larraona, C. M. F.,
Secretarius

ADNOTATIONES

1. Qui Ecclesiae historiam non tantum in eius exterioribus factis attente consideret quam praesertim in eiusdem vita intima, facile eruet sacram musicam, praeclara magnificentia quam possidet ac vi mysterii plena ac quasi divina quae eidem inest, talem ac tantum splendorem afferre ac singularem efficaciam exercere in fidelium animos, ut iure meritoque pars necessaria sollemnis Liturgiae habita fuerit a S. P. Pio X [1].

Ordines autem Congregationesque religiosorum, praesertim antiquiores, qui cultum Deo debitum ac sacram orationem prae primis cordi habuerunt, officium chorale atque ideo cantum sacrum summo habuerunt honore.

« Ora et labora » fuit praeceptum maximum, quod in sua Regula sancivit S. Benedictus, pater monachismi occidentalis. Et quoniam qui bene cantat bis orat, nil mirum si, simul cum Ordinum diffusione in orbem terrarum, Sacra Liturgia ac ecclesiasticus cantus mire diffunderentur apud populos fideles, qui quidem ipsius Liturgiae maiestate abrepti ac eiusdem cantus suavitate adlecti facilius Christianae Fidei dogmata ac praecepta amplectebantur.

Nec pariter mirum si religiosi viri, « divites in virtute pulchritudinis studium habentes », theoriam ac praxim cantus praesertim gregoriani assidue promoverint. « Cantus iste ille est — legimus in Ep. Enc. *Annus qui* Benedicti XIV diei 19 Febr. 1749, n. 2 — qui fidelium animos ad devotionem et pietatem excitat; denique ille est, qui, si recte decenterque peragatur in Dei Ecclesiis, ab iis hominibus libentius auditur, et alteri, qui cantus harmonicus, seu musicus dicitur, merito praefertur. Hunc quidem Monachi a Presbyteris saecu-

[1] Cfr. Motu Proprio *Inter pastoralis officii* diei 22 nov. 1903. Pars I° n. 1.

laribus didicerunt; et cum ab ipsis accurate, diligenterque tractetur, sacrisque in functionibus adhibeatur: contra autem negligatur a nonnullis clericis, oscitanterque persolvatur; haec potissima causa est, cur a Christiano populo frequentius Regularium Ecclesiae, quam Saecularium adeantur; ut bene advertit IACOBUS EVEILLON: [2] « sordescit quippe sanctis auribus omnis musici concentus titillatio prae hac plani cantus, et simplicis psalmodiae harmonia, si recta fuerit. Atque eo fit, ut, relictis hodie Ecclesiis Collegiatis et Parochialibus, tam libenter et avide concurrat populus fidelis ad ecclesias Monachorum, qui magistram habentes in colendo Deo pietatem, sancte, moderate et, ut Psalmistarum Princeps olim dixit, sapienter psallunt, et Domino suo, ut Domino et Deo, cum summa reverentia famulantur. Quod sane pudori debet esse Ecclesiis primariis et maioribus, a quibus Monachi et canendi et psallendi artem et regulam didicerunt ».

Antiquiores insuper musicae theoriae auctores fere omnes religiosi exstant, inter quos Guido ille Arretinus, cuius amplissimas laudes ipse S. Pontifex Pius XII, nono exeunte saeculo ab eius obitu, tribuit.

Quis, insuper, ignorat zelum religiosorum virorum, Ordinis praesertim S. Francisci ac S. Philippi Nerii, pro cantus sacri diffusione inter fideles atque praeclarissima studia sodalium Ordinis S. Benedicti pro restitutione gregoriani cantus ad pristinam formam iuxta codicum fidem?

2. Attamen, simul ac ecclesiastici ac religiosi viri a pristina Sacrae Liturgiae et Officii choralis observantia declinaverunt, etiam sacra musica ab antiquo splendore ac mirifica sua efficacia paulatim recessit et in templo locum dedit formis ac ideis profani concentus.

Et quamvis Summi Pontifices firmiter restitissent infaustae huiusmodi sacri ac profani commixtioni atque perspicuas normas tradidissent pro genuina cantus ecclesiastici restitutione ac eiusdem in sacris solemniis frequentiore usu, attamen nihil id profuturum erit, nisi apti musicae sacrae magistri, verae artis sacrae praeceptis imbuti, omnem impendant operam ut normas pontificias in executionem deducant.

Hinc maxima opportunitas huius epistulae S. C. de Religiosis, quae Supremos Religiosorum Moderatores adhortatur ut musicae sacrae magistros sibi formandos curent.

Quod item nuperrime praescripsit, ad Clerum saecularem quod spectat, S. C. de Seminariis ac Studiorum Universitatibus [3].

---

[2] Cfr. Eveillon. *De recta psallendi ratione*. La Flèche 1646; c. 9, art. 9, p. 99.

[3] Litt. circulares d. 15 Augusti 1949 n. 659/49 ad locorum Ordinarios:

« Studiorum haec programmata (np. Pont. Instituti Musicae Sacrae) Tibi dum mitto, enixe ab Excellentia Tua Rev.ma rogo ut magnam perpendere velis utilita-

3. Ad hunc finem probe assequendum exstat in Urbe Pontificium Institutum Musicae Sacrae, quod ex « Societate Italica a S. Caecilia » originem duxit anno 1910. Primum nomen ei inditum est « Schola Altior Musicae Sacrae », quae, cum jam die 3 Januarii 1911 esse coepisset, a Pio X Pont. Max. per *Breve* « Expleverunt », die 4 Nov. 1911 datum, approbationem sanctionemque obtinuit. Die autem 10 Julii a. 1914, *Rescripto* Secretariae Status Suae Sanctitatis, Schola ipsa ab eodem Summo Pontifice « Pontificia » titulo decorata eique gradus academicos conferendi facultas collata fuit.

Benedictus PP. XV *Scholae Pontificiae* Apollinares Aedes, prout nunc habetur, fixam stabilemque sedem constituit.

Summus autem Pontifex Pius XI *Motu Proprio* « Ad Musicae Sacrae », die 22 Nov. 1922 dato, eiusdem Scholae Statuta sancivit atque a S. Sede immediatam dependentiam, gradusque academicos conferendi facultatem ratas habuit et confirmavit.

Tandem, ex *Constitutione Apostolica* « Deus scientiarum Dominus », die 24 Maii 1931 data, ipsa Schola in « Pontificium Institutum Musicae Sacrae » evecta, inter Universitates et Facultates Pontificias recensita fuit, legibusque seu normis subiecta quas eadem Constitutio proprias enumerat servandasque firmat.

Pontificium Institutum Musicae Sacrae, cum omnium nationum auditoribus pateat, prae se fert indolem *internationalem* et adnumeratur inter Altiora Instituta quae S. Sedes in Urbe erexit ad juvenes in iis sacris disciplinis instituendos, de quibus Art. 3, § 2 memoratae Constitutionis Apostolicae Pii PP. XI « Deus scientiarum Dominus ». Institutum finem habet docendi juvenes eas partes, quae in huiusmodi disciplina principem locum tenent: nempe Cantum Gregorianum, Artem conficiendi sacros concentus et Peritiam Organi modulandi juxta Motum Proprium Pii PP. X *De Musica Sacra*, aliasque S. Sedis praescriptiones, nec non quaelibet promovendi studia, quae ad Historiam, Criticam et Evolutionem pertinent omnium formarum musicae in Ecclesia Universali.

Pontificium Institutum, ex facultatibus a S. Sede obtentis, gradus confert academicos Baccalaureatus, Licentiae seu Prolitatus et Doctoratus.

---

tem, quae Tuae dioecesi obveniet, si Amplitudo Tua aliquem alumnum Romam miseris (Sacerdotum, quantum fieri potest), ut curriculum apud Pontificium Institutum Musicae Sacrae emetiatur.

Ad hoc quod attinet, opportunum erit ut Excellentia Tua eos inter dioeceseos Tuae iuvenes eligas, qui, ob spiritum liturgicum, ob peculiarem probamque praeparationem musicam, spem iniiciant se actionis liturgicae in Dioecesi ista apostolos idoneos fore ». Cfr. *Bollettino degli « Amici del Pontificio Istituto di Musica Sacra »* a. I (1949) pag. 2-4.

Ratio studiorum his sequentibus regulis regitur:

Curriculum ordinarium Cantus Gregoriani

Examen pro admissione:

1°) *Theoria generalis musicae;*

2°) *Solmisatio (" solfeggio ") mediae difficultatis tum rythmica tantum (i. e. sine cantu) tum rythmico-modulata;*

3°) *Prima rudimenta theoriae gregorianae (neumata, rythmus, psalmodia);*

4°) *Executio alicuius melodiae gregorianae mediae difficultatis;*

5°) " *Pianoforte* " a) Czerny: *Primus libellus Studiorum;*
b) J. S. Bach: *Primus libellus.*

Annus I (*Baccalaureatus*)	Annus II (*Licentia*)	Annus III (*Magisterium*)
Liturgia Generalis	—	—
Legislatio liturgico-musicalis.	—	—
Theoria gregoriana fundamentalis.	Formae musicales gregorianae.	Theoria gregoriana altior
		Paleograghia gregoriana
Historia cantus gregor.	Historia Musicae: A. I	Historia Musicae: A. II
Exercitationes cantus gregoriani.	Exercitationes cantus gregoriani.	Exercitationes cantus gregor. (Moderatio chori)
Methodica: A. I	Methodica: A. II	Ars modulandi Organum complementare: A. I
Ars pulsandi «Pianoforte complementare»: A. I	Ars pulsandi «Pianoforte complementare»: A. II	Organographia comp.: A.I
Harmonia: A. I	Harmonia: A. II.	Contrapunctum.
—	—	Ars consociandi organum cum canto gregoriano: A. I
—	—	Thesis.

Animadverte: Alumni emetiri possunt curriculum *Ordinarium Cantus Gregoriani* cum Curriculo Compositionis Sacrorum Concentuum, prout heic ostenditur:

Cursus ordinarius cantus gregoriani.	Annus I (Baccal.)	Annus II (Licentia)	Annus III (Magist.)	—	—
				—	—
Cursus compositionis sacrorum concentuum.	Annus I	Annus II	Annus III	Annus IV	Annus V
	—	—	(Baccal.)	(Licen.)	(Magist.)

Curriculum Compositionis Sacrorum Concentuum.

Examen pro admissione: Cfr. Curriculum Ordinarium Cantus Gregoriani.

(1) Annus III (*Baccalaur.*)	Annus IV (*Licentia*)	Annus V (*Magisterium*)
Harmonia: A. III	—	—
Contrapunctum.	Fuga	Compositio Sacrorum Concentuum.
—	Ars symphonica	—
—	—	Moderatio chori
Historia Musicae: A. II	—	—
Formae Musicales: A. I (a saec. XV ad s. XVII)	Formae Musicales: A. II (a saec. XVIII ad s. XX)	Formae Musicales: A. III (idem ac in anno IV)
—	—	Notatio Polyphoniae
Exercitationes cantus Gr.	Exercitationes cantus Gr.	Exercitationes cantus Gr.
Ars consociandi organum cum cantu gregoriano: A. I	Ars consociandi organum cum cantu gregoriano: A. II	—
Ars modulandi organum complementare: A. I	Ars modulandi organum complementare: A. II	—
Organographia compl.: A. I	Organographia compl.: A. II	—

[1] In I et II anno eaedem sunt disciplinae ac pro Baccalaureatu et pro Licentia in Curriculo Ordinario Cantus Gregoriani.

Curriculum Organi Principalis.

Examen pro admissione:

1) Prima rudimenta theoriae gregorianae (neumata, rythmus, psalmodia);

2) Executio alicuius melodiae gregorianae mediae difficultatis;

3) Licentia solmisationis (solmisatio tum rythmica tantum tum rythmico-modulata, Dictatum musicale);

4) Promotio seu Admissio ad II annum Harmoniae (i. e. examen scriptum de Harmonia diatonica usque ad septimam dominantis inclusam);

5) Pianoforte: Clementi: (a) *Gradus ad Parnassum.* — Studia praescripta: Nn. 1, 3, 5, 7, 9, 12, 15, 16, 17, 21, 22, 24, 27, 28, 31, 32, 34, 35, 36, 44, 47, 48, 50, 65, 66, 78, 83, 84, 86, 87, 88, 95, 96, 99; — S. J. Bach: *Das Wohltemperierte Klavier*, vol. I. — Fugae praescriptae (cum suis praeludiis): Nn. 2, 3, 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12, 13, 15, 19, 21 (b).

(a) Ad modum exceptionis a Commissione Examinatorum admitti poterunt etiam « studia » aliorum auctorum, dummodo parem prae se ferant difficultatem executionis (Kessler, Müller, Moscheles, Hummel, Henselt, Chopin. etc.).

(b) Ante tres dies ab examine, candidatus sorte eliget tria « studia » et tria praeludia et fugas, quae sibi exequenda erunt.

Animadverte: Consilium Academicum ius sibi reservat concedendi exemptionem ab examinibus subeundis illis candidatis, qui ornentur diplomate Magisterii in Pianoforte vel titulo aequipollenti.

Annus I (1)	Annus II (*Baccal.*)	Annus III (*Licent.*)	Annus IV (*Magist.*)
Organum principale	Organum principale	Organum principale	Organum principale
Compositio ex tempore ad organum	Compositio ex tempore ad organum	Compositio ex tempore ad organum	Compositio ex tempore ad organum
—	Consociatio ex tempore organi cum C. Gregor.: A. I	Consociatio ex tempore organi cum C. Gregor.: A. II	Consociatio ex tempore organi cum C. Gregor.: A. III
Organographia: A. I	Organographia: A. II	—	—
Harmonia: A. II	Harmonia: A. III et Contrapunctum.	Fuga.	—
Consociatio organi cum C. G. scripto tradita: A. I	Consociatio organi cum C. G. scripto tradita: A. II	—	—
—	—	Polyphonia: A. I	Polyphonia: A. II
—	—	Formae musicales: A. I	Formae musicales: A. II
—	—	Exercitationes C. G.	Exercitationes C. G.
—	—	—	Disciplina specialis

[1] Addendae sunt disciplinae quae requiruntur ad Baccalaureatum et ad Licentiam in Cantu Gregoriano, exceptis Pianoforte complementari cum suo speciali programmate (cfr. supra) et Harmonia Anni I, quae praerequiruntur admissioni.

Cursus altior Cantus Gregoriani et Musicologiae

Examen pro admissione:

a) Pars Theorica. — Candidatus ostendere debet se bene callere prima rudimenta Cantus Gregoriani.

b) Pars Practica. — 1) Candidatus modulare debet, seligentibus examinatoribus, unam alteramve ex his melodiis: Introitum ex Festo Omnium Sanctorum, Graduale ex Feria V in Coena Domini, I Alleluja ex Festo Ascensionis Domini, Offertorium ex Festo Resurrectionis, Sequentiam ex Dominica Pentecostes, Communionem ex

Feria III post Pentecosten: aliquot deinde ex quinque Antiphonis Vesperarum Corpus Domini cum propriis psalmodiis.

2) Lectio extemporanea cum solmisatione alicuius brevis melodiae mediae difficultatis (Introitus, Communia Festorum, Antiphonae Vesperarum).

ANNUS I (*Baccalaureatus*)	ANNUS II (*Licentia*)	ANNUS III (*Magisterium*)
Liturgia generalis	—	—
Liturgia particularis: A. I	Liturgia particularis: A. II	Liturgia partic.: A. III
Legislatio liturgico-musicalis.	—	—
Theoria gregor. fundam.	Theoria gregor. altior	Cursus monographici de Cantu gregoriano.
Palaeographia gregoriana	Palaeographia gregoriana	Palaeographia gregoriana
Historia Cantus Gregor.	Historia Cantus Gregor. (cursus monographici)	—
Historia Musicae: A. I	Historia Musicae: A. II	—
Exercitationes C. G.: A. I	Exercitationes C. G.: A. II	Exercitationes C. G.: A. III (Moderatio chori).
—	Palaeographia latina (x)	—
Musicologia (cursus monographici).	Musicologia (cursus monographici).	Musicologia (cursus monographici).
Synthesis Historiae Ecclesiasticae (x).	—	—
Seminarium studiorum gregorianorum.	Seminarium (Cantus gregorianus et polyphonicus).	Seminarium: a) Studia gregoriana. b) Musica medioaevalis non gregoriana eiusque notatio.
—	Formae musicales gregorianae.	—
—	—	Cantus popularis relig.
—	—	Lingua latina medioaevalis (x).
—	Historiae et Theoriae consociationis organi cum Cantu Gregoriano	Consociatio organi cum Cantu Gregor., scripto tradita (practica).
—	Historia Artis (x).	—
—	—	Thesis.

(x) Apud Pontificiam Universitatem Gregorianam (in Facultate Historiae Ecclesiasticae).

4. At relata Epistula S. C. de Religiosis non solum religiosos viros spectat, sed etiam ad religiosarum familias alludit, quae quidem, ad normam can. 1264 § 2, in propria ecclesia aut oratorio cantum sacrum, certis adhibitis cautelis, peragunt. Quapropter omnino conveniens erit ut quaedam Religiosae mulieres in musica sacra rite instituantur, praesertim ad musicam sacram in suis ecclesiis vel oratoriis scite moderandam atque ad cantum sacrum docendum tum alias religiosas quum puellas contubernales vel quomodocumque earum domos frequentantes.

Cum vero Pont. Institutum Musicae Sacre viris tantum pateat, optandum ut quam citius Sectio quaedam eiusdem Instituti habeatur mulieribus religiosis ac puellis destinata, quemadmodum iam fit in inferioribus Scholis dioecesanis Musicae Sacrae.

5. Attamen, ut religiosi viri ac religiosae mulieres exoptatos fructus consequi valeant, oportet ut iam ab adulescentia in musicae sacrae studio ac praxi sufficienter initientur, ut cum ad maiorem aetatem pervenerint et postquam ceteras vitae religiosae obligationes adimpleverint, curriculum musicae sacrae studiorum facile peragere possint.

Quod iam pluries Romani Pontifices praescripserunt [4].

6. Non omnes vero, qui musicae sacrae studio ac praxi ita incumbunt, ad superiora studia apud Romanum Institutum Musicae Sacrae peragenda sunt vocati, sed, ut opportune monet relata Epistula, ii praesertim adlecti alumni, qui vere spiritu liturgico imbuti peculiarive musico ingenio praediti sunt, qui, transacto de more tyrocinio, inter Religionis suae sodales « apostolatum liturgico-musicalem » postea explicare valeant. Etenim in hoc etiam — sicut et in ceteris disciplinis addiscendis summopere cavendum ne, occasione alicuius studii, profani spiritus invehantur. Omnia namque — ac praesertim musica sacra, quae ad divinas laudes celebrandas adhibetur — ad maiorem Dei gloriam fieri debent.

7. Meminisse demum iuvabit S. P. Pium X, qui apprime voluit « instaurare omnia in Christo », huiusmodi supernaturalis instaurationis initium non ab aliis cepit quam a musica sacra. Primum documentum, quod Ipse Sua manu exaratum in festo S. Caecilae, musicae Patronae, a. 1903 promulgare curavit, fuit enim Codex iuridicus musicae sacrae, ut Ipse cit. Motu Proprio « Inter pastoralis officii » appellare voluit.

Si ergo sincerum obsequium ac veram devotionem novissimo glorioso Beato Pio X tribuere velimus, Eiusdem exempla ac praecepta fideliter sequamur.

FLORENTIUS ROMITA

[4] Cfr, *Regolamento per la musica sacra in Roma* diei 2 Febr. 1913: introduct. - Const. Ap. *Divini cultus sanctissimi* Pii Pp. XI° d. 20 Decem. 1928 ; n. I° - II°

SACRA CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

EPISTULA CIRCA HABITUDINEM INTER PONTIFICIA OPERA MISSIONALIA ET INSTITUTA RELIGIOSA IN MISSIONIBUS ADLABORANTIA.

PROT. NUM. 828/51.

Roma, 21 marzo 1951

Reverendissimo Monsignore,

E' stato segnalato a questa Sacra Congregazione « de Propaganda Fide » qualche malinteso verificatosi tra i Superiori degli Enti Religiosi (Ordini, Congregazioni religiose ed Istituti Missionari), che svolgono un'attività missionaria, e gli Uffici Diocesani delle Pontificie Opere Missionarie in merito alla propaganda tra i fedeli.

Affinchè tutta la cooperazione degli Uffici Diocesani e degli Enti suddetti si svolga in cordiale armonia e siano evitate gare, che potrebbero essere incresciose e poco edificanti, questa Sacra Congregazione, riferendosi ai Sacri Canoni (Cfr. can. 622, 1. 2; 691, 3. 4. 5; 1341, 1; 1503) e a precedenti disposizioni ufficiali o autorizzate, è venuta nella determinazione di ricordare alcune norme pratiche, alle quali la Direzione Nazionale delle PP. OO. MM. in Italia, e le dipendenti Direzioni Diocesane e gli Enti religiosi dovranno fedelmente attenersi.

1) Gli Enti suddetti possono, liberamente, per mezzo delle loro pubblicazioni periodiche far conoscere ai fedeli le reali esigenze delle loro case di preparazione dei missionari e delle Missioni loro affidate e far appello alla generosità dei catttolici. E' però necessario che nella propaganda sia scritta che orale siano evitate espressioni generiche od equivoche, tali da ingenerare confusione fra gli scopi delle PP. OO., che sono d'indole generale, e quelli particolari dei singoli Enti. Ad esempio, trattandosi di chiedere il soccorso dei fedeli, si abbia cura di specificare che le offerte sono destinate ad un Ente religioso o a una Missione determinata, evitando l'espressione « pro Missioni » o « per la Propagazione della Fede ».

I propagandisti degli Enti religiosi, poi, non dimentichino di far conoscere ai loro ascoltatori, come pure ai lettori delle rispettive pubblicazioni periodiche, le specifiche finalità delle PP. OO. MM.,

invitandoli ad iscriversi alle medesime in quanto tali iscrizioni concorrono anche ad alimentare l'attività misisonaria dei singoli Enti suddetti.

In tal modo le Opere Pontificie conserveranno quel diritto di precedenza rispetto alle altre iniziative ed opere particolari = che alle Opere stesse è riconosciuto dai documenti ufficiali della Santa Sede.

2) Gli Enti religiosi si asteranno dal dare alla loro attività di cooperazione missionaria in patria tali denominazioni e forme che possano ingenerare, nella mente dei fedeli, qualche confusione sulla finalità degli Enti stessi e quelle assegnate alle PP. OO. MM., ed anche creare incresciose concorrenze.

3) Ogni attività di propaganda da parte degli Enti suddetti = per mezzo di prediche, conferenze, proiezioni, mostre del libro, trattenimenti teatrali e cinematografici, ecc., dovrà ottenere il consenso dell'Ordinario del luogo e si svolgerà d'intesa con la Direzione Diocesana.

4) Qualora tale attività, pur non adottando i mezzi ed i metodi di propaganda delle PP. OO. MM., venisse a rappresentare in determinate Diocesi, un notevole inciampo all'organizzazione delle Opere stesse (ad esempio mediante larga diffusione sia di appelli diretti alle famiglie cattoliche, sia di buste e salvadanai per questue continuate, ecc.) le singole Direzioni Diocesane ne daranno avviso, previa intesa con l'Ordinario, alla Direzione Nazionale. Questa potrà intervenire per tutelare il diritto di precedenza delle PP. OO. MM.

Si potrà per tal modo evitare che una troppo vasta e sistematica attività di propaganda, da parte degli Enti Missionari, in specie di quelli cui sono affidate soltanto poche Missioni, venga a compromettere quella degli organi diocesani, con evidente danno della cooperazione missionaria generale, che è vantaggiosa a tutte le Missioni.

5) Gli Enti religiosi devono prestare tutta la loro cordiale e gratuita collaborazione nel preparare e celebrare l'annua « *Giornata Missionaria* » che si celebra in tutto il mondo, rimettendo poi le offerte raccolte al competente Ufficio Diocesano, anche se provenienti da Parrocchie e chiese rette da religiosi. I propagandisti missionari, che per tale celebrazione venissero invitati dal predetto Ufficio avranno diritto ad essere indennizzati delle spese incontrate.

6) Allo scopo di non compromettere il buon esito dell'anzidetta « Giornata Missionaria » mondiale, gli Enti religiosi dovranno astenersi da ogni forma di propaganda in favore proprio e delle rispettive missioni, almeno un mese prima della detta celebrazione annuale.

7) Là dove l'Ufficio Diocesano organizza delle giornate missionarie parrocchiali, affidandone la celebrazione a propagandisti missionari, potrà essere stabilita di comune accordo una percentuale in favore dell'Ente, cui il missionario appartiene.

8) Se gli Enti suddetti celebrano nelle loro chiese pubbliche e semipubbliche una « Giornata Missionaria », questa sia a distanza da quella mondiale — come si è detto sopra — e siano, però, spiegati ai fedeli gli scopi particolari, per cui la « Giornata » si celebra raccomandando insieme l'iscrizione alle PP. OO. MM., le cui quote saranno trasmesse al competente Ufficio Diocesano.

9) Nei collegi, convitti e nelle altre istituzioni del genere, retti da Religiosi e Religiose, è doveroso da parte dei Direttori e delle Direttrici far conoscere le finalità delle PP. OO. MM., sia col diffondere le pubblicazioni periodiche sia col favorire le iscrizioni degli alunni e alunne. Si dovrà pure celebrare con particolare impegno e con iniziative adatte ai giovani, la « Giornata Missionaria » annuale, in occasione della quale si intensificherà la raccolta delle iscrizioni alle suddette Opere, inviandone poi le quote al competente Ufficio Diocesano insieme con le offerte della « Giornata ».

Voglia la S. V. Rev.ma comunicare le suddette direttive ai Rev.mi Direttori diocesani e mentre nutro le più fondate speranze che esse serviranno a promuovere una maggiore concordia nella propaganda missionaria, La benedico di cuore e approfitto della presente circostanza per porgerLe distinti ossequi.

Di Vostra Signoria Rev.ma
dev.mo nel Signore
P. Card. FUMASONI-BIONDI *Pref.*
+ CELSO COSTANTINI *Segretario*

Ill.mo e Rev.mo Signore
Monsignor GIUSEPPE ZANETTI
Direttore Nazionale delle Pontificie
Opere Missionarie per l'Italia.

ADNOTATIONES

De quaestuatione.

Ex verbis canonum 621 § 1, 622 §§ 1, 2, 3, 4, 623, 624, 1503 quaestuatio habetur quando quis, vel privilegio vel auctoritate, a lege statutas munitus, eleemosinas vel stipem quaerit, petit, quaeritat, collegit, cogit, quaestuat pro quolibet pio aut ecclesiastico instituto vel fine. Sed Codex I. C. non loquitur de qualibet quaestuatione, sed solum de eleemosynarum quaeritatione facta ostiatim et personaliter atque modo generali seu habitualiter.

« In sensu iuridico non venit nomine quaestuationis missio litterarum, sive scriptarum sive impressarum, neque accessus ad benefactores aut apud unam vel alteram familiam, quae necessitatibus succurrere vult, neque collectio in comitiis clausis neque collecta in ecclesia facta, neque accessus ad benefactores, cum spe nova beneficia recipiendi nec acceptatio eleemosynarum ultro oblatarum. Qui tamen modus mendicandi a legitimis Superioribus ordinari vel prohiberi potest. Elaboratio catalogi personarum divitum vel ad opera beneficientia proclavium et ab eis eleemosynae petitio, ut quaestuatio considerari debet » [1].

Praescripta canonum circa quaeritationem sunt clara. Solum Regulares, qui stricto sensu [2] sunt medicantes, in dioecesi, ubi eorum religiosa domus est constituta, eleemosynas quaerere valent de sola Superiorum licentia [3], exclusa Ordinarii loci licentia [4]. Extra dioecesim, vero, indigent praeterea licentia scripto data ab Ordinario loci in quo eleemosynas colligere cupiunt.

Ceteri omnes religiosi Congregationum iuris pontificii, « qui privilegium quaeritandi eleemosynas neque vi propriarum Constitútionum a Sancta Sede approbatarum, neque vi Apostolicae concessionis gaudent, veniam Apostolicae Sedis impetrare debent, ut quaestuationes instituere valeant; praeterea licentiam per suos Superiores ab Ordinario loci obtinere tenentur, nisi forte Sancta Sedes in hoc expresse et specialiter iuri Episcopi derogaverit, quod numquam praesumi potest, sed indubitatis documentis probari debet » [5]. Ad obtinendum privilegium quaeritandi requiritur causa propor-

---

[1] Schäfer T., *De Religiosis*, Roma [3], pp. 802-803.

[2] Sartori C., *Enchiridion Canonicum*, Roma [8], pp. 128-129.

[3] Can. 621 § 1.

[4] Ordinarius loci quodammodo hanc licentiam dedit in erectione domus mendicantiam (can. 497 §§ 1-2).

[5] S. C. de Religiosis, Decretum *De eleemosynis colligendis*, 21 novembris 1909, (A. A. S., 1 (1909) pp. 153-156).

tionata, ut puta necessitas sustentandi opera pia ad infirmorum ministerium vel infantium educationem [6].

De stipe colligenda pro missionibus.

Canones Codicis I. C. nihil dicunt expresse de stipe colligenda pro missionibus. Decretum, anno 1908 latum a S. C. de Religiosis de eleemosynis colligendis, circa rem haec habet: « Insuper Ordinarius sedulo advertat, utrum Religiosi qui pro Missionibus exteris subsidia quaerunt, praeter litteras commendatias Vicarii vel Praefecti Apostolici respectivae Missionis et litteras obedientiales Moderatoris generalis proprii Instituti, habeant quoque facultatem a S. Congregatione de Propaganda Fide in forma authentica recenter datam » [7].

Quod praescriptum certe non amplius valet, praesertim post litteras apostolicas Benedicti XV *Maximum illud* diei 30 novembris 1919 [8] et epistolae encyclicae Pii XI *Rerum Ecclesiae*, diei 28 februarii 1926 [9]. Insuper per Instructionem diei 8 decembris 1929 [10] Sacra Congr. de Propaganda Fide, presse determinavit iura et officia Instituti missionalis, cui missio concredita est, erga ipsam missionem et statuit Instituto incumbere onus suppeditandi missionibus, sibi commissis, non solum missionarios sed etiam, saltem ex parte, media.

Nunc, vero, media pro missionibus colliguntur inter fideles, unde implicite Istituta missionalia facultate corrogandi stipem gaudere debent. Sed requiritur semper licentia Ordinarii loci, scriptis data, atque etiam licentia proprii Superioris religiosi [11].

Facultas id genus peculiari rationi tribuenda est Institutis, exclusive misionariis [12].

Sed haec facultas componenda est cum potiore iure Pontificalium Operum a Propagatione Fidei, S. Petri Apostoli pro clero indigena et Sanctae Infantiae. Quare Opera, ut verbis utar Pii XI loquentis de P. O. a Propagatione Fidei [13], sunt Apostolicae Sedis instrumenta ad fidelium stipes undique cogendas easque erogandas in usum omnium missionum. Qua de causa Instituta missionaria in

---

[6] Goyeneche S., in *Com. pro Relig.*, 11 (1930) pp. 81 ss.

[7] Schäfer T., l. c., p. 812.

[8] Sylloge S. C. D. P. F., n. 74, pp. 113-128.

[9] l. c., n. 120, pp. 240-258.

[10] l. c., n. 128, pp. 351-357.

[11] can. 1503.

[12] Sufficit tantum recolere verba Pii XI in Motu Proprio *Romanorum Pontificum* 3 maii 1922: « Subsidia quidem, quae externis in bonis consistunt, solent religiosorum familiae, pro suis quaeque Missionibus, ex populo christiano conquirere ». Sylloge S. C. D. P. F., n. 228, p. 673.

[13] l. c., n. 228, p. 675.

exquirendis eleemosynis pro suis missionibus nullo modo possunt parvipendere iura Pontificalium Operum, quae inter omnia opera, favore missionum instituta, principem locum obtinent.

Principia observanda.

Ex dictis clare evincitur quod Instituta missionaria nullo modo possint ita rebus suis insistere apud fideles ut isti fere Pontificalium Operum obliviscantur. Licet gaudeant venia Sanctae Sedis, observare debent iura Ordinarii loci, qui potest praescripta particularia ferre ut in praxim facilius deducantur normae latae a S. C. de Propaganda Fide, cui certo pertinet onus et honor promovendi Opera Pontificalia.

Documenta lata circa rem aliquando loquuntur solum de uno Opere Pontificio, sed intelligenda sunt etiam pro ceteris, nam praescripta praeseferunt mentem ipsius Sacrae Congregationis circa vexatam quaestionem.

Saepe aliquod documentum originem duxit a Consilio Superiore Generali Pontificii Operis a Propagatione Fidei ut votum eiusdem Consilii, sed in re nostra maximi faciendum semper est, cum normae contentae plene concordent cum normis datis ab ipsa S. C. de Propaganda Fide. Inter cetera in memoria revocanda sunt vota prolata in Consilio Generali P. O. a Propagatione Fidei mense aprili 1928 circa habitudinem inter idem P. Opus et Instituta religiosa missionalia [14].

---

[14] In Coetibus Plenariis Consilii Superioris Generalis Pontificii Operis a Propagatione Fidei Romae habitis mense aprili huius anni 1928, haec vota sunt prolata de mutua consuetudine inter Pontificium Opus a Propagatione Fidei et Instituta Religiosa Missionalia:

I. Religiosi, sicut ceteri omnes, prae quocumque opere Missionibus iuvandis destinato, studiose ac sedulo favere velint Pontificio Operi a Propapatione Fidei. Nam

a) est Opus Pontificium et a Summo Pontifice Pio divina Providentia Pp. XI, Motuproprio *Romanorum Pontificum*, die 3 Maii a. 1922 edito, ad dignitatem instrumenti Apostolicae Sedis evectum;

b) Missiones vero Religiosis Institutis concreditae ab ipso Pontificio Opere quotannis non parva accipiunt adiumenta, atque Missionum Praepositi subsidia extra ordinem saepe petunt.

II. Velint iidem Religiosi operam dare ad felicem exitum peculiaris Festi pro Missionibus mense octobri celebrandi.

III. Velint insuper Religiosi abstinere et ab ineundis viis et ab adhibendis mediis et ab operibus condendis, quae sub quacumque specie aliquid prae se ferant, quod cum Pontificio Opere a Propagatione Fidei confundi possit, quaeque impediant Pontificii Operis maius incrementum.

IV. Quibus positis, ad meliorem conspirationem et pleniorem successum operum missionalium, Consilium Superius Generale, cui perspectum est Pontificium Opus a Propagatione Fidei haud posse occurrere omnibus et singulis Missionum neces-

Epistula, quam nuper S. C. de Prop. Fide transmisit ad Directorem Nationalem Italiae PP. OO. Missionalium, antiqua praescripta in memoriam revocat et nullam immutationem introducit in praxim, hucusque servatam, in colligendis eleemosynis pro missionibus.

Introductio et priora quattuor commata defendunt iura PP. OO. Missionalium relate ad Instituta missionalia. Commata 5, 6, 7, 8 loquuntur de Die Mundiali pro missionibus et praefatae normae ordinatae sunt ad hoc ut in supradicto Die colligantur eleemosynae solum pro PP. OO. Missionalibus. Comma 9 agit de obligatione Religiosorum et Religiosarum curandi ut in scholis, collegiis pueri et puellae bene cognoscant missiones et inscribantur PP. OO. Missionalibus.

Verba epistulae sunt clara et nullo indigent commentario. Sed cum Instituta missionalia in efformandis missionariis multam pecuniam profundere debent, Ordinarii et Directores dioecesani ita se gerere debent ut etiam supradicta Istituta vivant et virescant.

X. Paventi

---

sitatibus, libenter declarat se nolle impedire quominus Instituta Missionalia ab amicis et benefactoribus stipem conquirant pro suarum Missionum necessitatibus ; sed sperat fore, ut eadem Instituta commendent amicis et benefactoribus ipsum Pontificium Opus et curent, ut iidem nomina dent etiam Pontificio Operi propter rationes supra allatas,

✠ Iosephus Nogara, Archiepiscopus el. Utinensis
Pro-secretarius Generalis ».

Alia documenta videsis in *Laboremus pro Missionibus* vol. I, pp. 188-189 et vol. II, pp. 309-310.

JURISPRUDENTIA
SACRÆ ROMANÆ ROTÆ

SACRA ROMANA ROTA

Coram R. P. D. Arcturo Wynen, Ponente.

VICENTINA

Nullitatis Matrimonii

(*Ex capite impotentiae a parte viri*) *

Sententia definitiva diei 17 februarii 1951.

1. - Die 11 martii 1943 Maria... a Summo Pontifice imploravit Commissionem Pontificiam, ut sua causa matrimonialis iam in prima instantia a S. Rota cognosci et definiri posset. Qua Commissione die 13 maii 1943 obtenta, mulier die 28 junii eiusdem anni supplicem porrexit N. S. Auditorio libellum, quo suum matrimonium accusavit nullitatis ob impotentiam mariti « quia hic carebat utroque testiculo ». Partibus et nonnullis testibus excussis, duo periti et peritior constituti suas relationes exhibuerunt, in excussione orali confirmatas. Die autem 26 aprilis 1948 prodiit sententia Rotalis, qua declaratum est non constare de viri impotentia matrimonium dirimente.

Ab hac sententia patronus actricis appellavit ad proximum Turnum Rotalem, et eo instante alter peritior constitutus est. Praeparatione causae finita, hodie quaeritur: « An sententia Rotalis diei 26 aprilis 1948 sit confirmanda, vel infirmanda, in casu ».

In jure.

2. - Can. 1068, § 1, interpretatus est jus naturae, vi cuius impotentia coeundi, eaque antecedens et insanabilis, matrimonium dirimit. Haec autem impotentia habetur in viro qui incapax est ad perficiendam copulam perfectam, seu qui inhabilis est ad penetrandum in vaginam mulieris et ad effundendum in ea semen testiculare; si quid horum igitur deest, et si is defectus celebrationem matrimonii antecesserit neque sanari possit, vir laborat impotentia coeundi, in sensu canonico.

In § 2 autem eiusdem canonis declaratur matrimonium non esse impediendum, « si impedimentum impotentiae dubium sit, sive

* Fore confidimus ut ex publicatione huius Sententiae cesset abusus introducendi matrimonialas causas innixas super fallaci nullitatis capite azoospermiae.

dubio juris sive dubio facti ». Si nempe agatur de dubio (utique positivo) juris ob incertitudinem doctrinae, ne a S. Officio quidem sublatam, vel de dubio facti quod practice in concreto solvi nequeat ne a medicis quidem, nemo a contrahendo matrimonio arceri potest, quia jus *naturale* ad matrimonium est *in possessione*, donec de contrario *certo* constet » (Wernz- Vidal, *Jus can.*, vol. V, n. 223, V), seu quia certum jus contrahendi non tollitur incerto quodam obstaculo.

Canonis 1068 § 3 denique statuit: « Sterilitas matrimonium nec dirimit nec impedit ». Sterilitas ab impotentia generandi ordinarie eo distinguitur, quod illa sit incapacitas perpetua ad generandum, haec autem temporanea quoque esse possit. Sterilitas habetur v. g. in senibus, qui carent semine fecundo, licet rarissime contrarium contingere Auctores referant. Distinctio inter impotentiam coeundi et impotentiam generandi, sive haec perpetua sive temporanea sit, manifesta est, ideoque in sana doctrina et in jurisprudentia ecclesiastica omnino tenenda; solummodo prima, non altera, matrimonium ipso naturae iure dirimit.

3. - Cum vir conventus in causa praesenti fassus sit se saepe in vaginam uxoris penetrasse et in ea seminasse, in casu unice inquirendum est, utrum necne vir capax sit ad producendum semen testiculare idque effundendum in vase femineo. Nam si uterque testiculus aut omnino deest aut definitive atrophizatus est, patet semen testiculare produci non posse; et si viae spermaticae absolute et irreparabiliter occlusae sunt, semen forsitam productum ad extra eiaculari nequit; tam in uno quam in altero casu vir proclamandus est impotens ad coeundum, in sensu canonico, seu inhabilis ad perficiendam copulam quae *per se* sit apta ad prolis generationem. Attamen nullatenus inquirendum est, an vir, qui penetravit et intra vas femineum seminavit, *de facto* praeditus fuerit semine in testiculis elaborato; nam in admittenda vel neganda impotentia perpendenda non sunt quae *per accidens* evenerint, id quod ex infra exponendis adhuc clarius apparebit.

4. - In sententia diei 25 aprilis 1941 coram R. P. D. Wynen (vol. XXXIII, dec. XXVIII, n. 5, p. 288) plures adducti sunt Auctores, asserentes non posse proclamari uti scientifice certum, quod testiculi non elaborent ullum liquidum. Sententia appellata diei 26 aprilis 1948 coram R. P. D. Teodori ad rem alios duos adducit Auctores, quorum unus, Busquet (apud Roger et Binet, *Traité de physiologie normale et pathologique*, vol. XI, p. 61), scribit: « Cet organe (scl. « le testicule ») fournit, en même temps que les spermatozoides, un liquide de couleur très légèrement ambrée »; et ater, Chiaudano (*La sterilità da causa maschile*, Casale Monferr. 1932,

p. 28 s.), exponit: « La puntura del testicolo è entrata nella pratica per stabilire la funzionalità testicolare... nonchè per assicurarsi che la spermatogenesi avviene... Si sarà ottenuto una goccia e anche due di liquido che... si sottoporrà all'esame microscopico a fresco. Se il liquido contiene spermatozoi completi, ben formati, si conclude per la funzionalità della ghiandola ».

Palmieri (*Medicina Legale Canonistica*, Città di Castello 1946, p. 89 s.) animadvertit: « L'esistenza di liquido nei tuboli seminiferi, affermata dal Busquet... e dal Chiaudano..., è stata contestata dal Boldrini (*Atti del VI Congresso Italiano di Medicina Legale*, Milano 1935); *probabilmente* (ergo non: certo) — dati i metodi di prelievo — si tratta di materiale non elaborato dalla ghiandola testicolare, ma proveniente dai vasi ». Prof. La Cava, peritior a Nobis constitutus, in sua relatione citavit Viale (*Compendio di fisiologia umana*, Napoli 1931, p. 21), qui ad rem haec tradidit: « Le cellule che costituiscono i diversi tessuti del nostro organismo non si trovano in diretto contatto con l'aria, ma sono immerse in un liquido chiamato *liquido interstiziale* dei tessuti od anche ambiente interno dell'organismo. Le cellule organiche vivono in questo liquido da cui traggono le sostanze nutritive e in cui versano i prodotti del loro ricambio... Per regolare i caratteri del liquido interstiziale serve il sangue, che con esso sta in rapporto indiretto, attraverso gli endoteli vascolari ». « Solo in questo senso — dicit ipse Peritior — noi possiamo ammettere la presenza di liquido nel parenchima del testicolo propriamente detto ». In supra citata sententia anni 1941 nos e contra citavimus Rauber-Kopsch, qui scripsit: « Le parti del corpo cellulare degli spermatidi, che non vengono adoperate,... forse si scompongono e forniscono una parte del liquido che si trova fra gli spermi » (vol. XXXIII, p. 290).

Quidquid est, non spectat ad Nos Judices solvere hanc quaestionem, in biologia moderna adhuc disputatam.

5. - Uti iam annotavimus, impossibilitas producendi semen testiculare est una ex causis impotentiae viri. Eiusmodi autem impossibilitas facile cognoscitur ex absentia vel definitiva atrophia utriusque testiculi.

Si quis vir, exstante saltem alterutro testiculo sano, nihilominus filios non procreat, sunt qui supponant impotentiam eamque probare contendant examine liquidi a viro eiaculati. Hoc autem liquidum eiaculatum « è costituito normalmente da pochi cmc. di materiale viscoso... che proviene essenzialmente dai testicoli, ma lungo le vie che esso percorre per giungere all'esterno incorpora il secreto di altre ghiandole, e in particolar modo della prostata. Tale molteplice origine spiega perchè anche nei castrati si ha l'eiaculazione

di un liquido, nel quale però non si riscontrano gli spermatozoi, che costituiscono la parte fecondante dello sperma » (PALMIERI, *Medicina Forense*, Città di Castello 1938, ed. 2 p. 436). Examen vero huius liquidi eiaculati esse *inutile ad* demostrandam impotentiam viri eiaculantis, ostendi potest secundum *varias hypotheses* sequentes.

6. - *De necrospermia.* Audiantur in primis diversi Auctores, qui necrospermiam eiusque obscuritates describunt. E' a ricordarsi — scribit MANGIAGALLI — che i nemaspermi possono esistere e non essere dotati di movimento, e poichè il movimento è condizione che indica la vita dei nemaspermi e la loro capacità di funzionare, la mancanza sua viene appunto chiamata *necrospermia* (*Trattato di ginecologia*, Milano 1930, vol. I, p. 722).

« E' concepibile anche — animadvertit CEVIDALLI — una sterilità per mancanza di attitudine fecondante degli spermatozoi, sia per ragioni ad essi intrinseche, sia perchè danneggiati o uccisi da anormali secrezioni delle ghiandole genitali accessorie(prostata, glandole del Cowper, glandole uretrali, e le stesse vescichette spermatiche che debbono considerarsi appunto più come organi secernenti che come serbatoi, al contrario di quanto ammettono molti autori). Tali alterazioni proprie dello sperma sono tuttavia poco studiate » (*Compendio di Medicina Legale*, ed. 2, Milano 1928, p. 277).

Adhuc maioris momenti sunt quae PALMIERI tradit: « Nè ci si può limitare ad esigere la semplice presenza degli spermatozoi, quando sappiamo che per assicurare la capacità fecondante dello sperma, occorre altresì che essi siano vivi, ben conformati, etc... Neppure la dimostrazione degli spermatozoi vivi potrebbe a stretto rigore considerarsi esauriente, dacchè le moderne ricerche biometriche hanno posto in rilievo che la capacità fecondante può mancare per anomalie morfologiche degli spermatozoi, ovvero per modificazioni fisico-chimiche, ancora non perfettamente chiarite. D'altra parte la stessa immobilità dei nemaspermi non sarebbe in ogni caso un segno certo della loro morte, potendosi attribuire, oltrecchè ad una cattiva tecnica dell'indagine, ad una *fase temporanea di riposo;* certo la necrospermia è una condizione estremamente rara e l'immobilità degli spermatozoi freschi starebbe quasi sempre a denotare una paralisi transitoria della cinetica, per variazioni della temperatura, brusche oscillazioni del pH ambientale, modificazioni della pressione osmotica, etc. E' legittimo peraltro il rilievo che — trattandosi di materia tuttora scientificamente fluida — sarebbe azzardato il richiederne l'applicazione nel campo giudiziario. Si verserebbe difatti, almeno per ora, in uno di quei casi dubbi, nei quali *standum est pro valore matrimonii*, can. 1014 ». (*Medicina Legale Canonistica*, p. 88 et 90).

Cum inter medicos, qui ex liquido eiaculato et inspectioni microscopiae subiecto potentiam alicuius viri erui posse praetendunt, sint qui ad hanc potentiam constituendam postulent nemaspermata eaque viva, ante omnia ex Auctoribus citatis apparet illorum medicorum studium esse inane et inutile. Siquidem nemaspermata, quamvis sub microscopio mortua esse videantur, ad hunc statum immobilitatis potuerunt pervenire non solum ex rationibus intrinsecis, sed etiam durante transitu a didymo ad extra per obnormes et nocivas secretiones glandularum accessoriarum, per quas transire debent; insuper agi potest de morte apparenti, seu de statu quietis vel de paralysi temporanea; denique nemaspermata non raro formam habent abnormem et pathologicam (cfr. Perrando, *Manuale di Medicina Legale*, ed. 3, Napoli 1940, vol. I, p. 316, ubi 12 imagines eiusmodi formarum oculis subiiciuntur), quin exacte sciatur, quaenam ex eis novam vitam producere non valeant. Quare vera aut apparens necrospermia non potest esse signum, quod agatur de impotentia quae ceteroquin a doctrina canonistica nunquam uti impotentia coeundi matrimonium dirimens, sed dumtaxat uti impotentia generandi acceptari posset. Ideo profecto « sarebbe azzardato il richiederne l'applicazione nel campo giudiziario » Ecclesiae (Palmieri supra citatus).

7. - *De oligospermia.* « Anche la oligospermia — refert Mangiagalli, — loc. cit. p. 723 — merita brevi considerazioni. Tale espressione viene generalmente adoperata a indicare la scarsa presenza di nemaspermi nello sperma, ma è adoperata anche ad esprimere una quantità esigua di sperma, la quale può contenere quantità proporzionale di nemaspermi... I fatti fisiologici sopra ricordati (scl. quando si pensi che un solo nemasperma pratica la fecondazione fisiologica e al numero enorme di nemaspermi contenuti in una eiaculazione, calcolati da Lode a 226 milioni... ») non escludono l'importanza, dal punto di vista della fecondazione, di una certa quantità di sperma, poichè un piccolo strato di seme, applicato e scorrente lungo la parete vaginale, può subire difficilmente l'azione del secreto acido vaginale, mentre, se versato e contenuto in grande quantità, una parte del seme può sfuggire a tale azione e colle sue cellule seminali intatte e non indebolite porsi a contatto e mescolarsi col muco cervicale che esercita su queste un'azione chemiotossica ».

Si proinde testiculi alicuius viri, etsi habiles ad semen producendum, tamen minores sunt quam in aliis viris esse solent, tunc etiam quantitas seminis producti, ideoque et nemaspermatum, non est tanta ac in aliis viris, qui testiculos normalis magnitudinis habent. Exinde autem, iuxta Mangiagalli aliosque Auctores, facile

fieri potest, ut iste minor numerus nemaspermatum in transitu ad organa feminea interna ab acido vaginali penitus destruatur et propterea ovulum femineum haud fecundetur. Quare iterum: inutile est, liquidum eiaculatum talis viri examini microscopio subiicere, quia absentia fecundationis in casu non dependet a defectu seminis producti, sed ab exiguo numero nemaspermatum.

8. - *De azoospermia.* Ascarelli (*Compendio di Medicina Legale*, Roma 1924, p. 653) ad rem scribit: « L'attitudine alla fecondazione, che s'inizia con la pubertà, permane nella virilità, e decresce fino a scomparire nella vecchiaia. Ma come non si è potuto delineare il momento preciso della sua comparsa, così non possiamo delineare quello della sua scomparsa. Certo però, da numerose osservazioni risulta che l'azoospermia si presenta in media verso i 60-70 anni; ma l'esperienza dimostra che essa può prodursi anche prima di questa età, mentre qualche volta si trova liquido spermatico ricco di spermatozoi anche in vecchi di 80 anni e forse più ». Similia habent plus minusve omnes Auctores. Quamvis non desint casus rarissimi, in quibus viri in senectute prolem generaverunt, tamen experientia cotidiana docet senes non amplius posse procreare filios, et quidem ob defectum fecundi seminis.

Nihilominus Ecclesia senes semper ad contrahendum matrimonium admisit, neque unquam, non obstante eorum aetate decrepita, iis prohibuit usum matrimonii. D. Thomas docet: Senes, quamvis quandoque non habeant caliditatem sufficientem ad generandum, tamen habent caliditatem sufficientem ad carnalem copulam. Et ideo conceditur eis matrimonium, secundum quod est in remedium, quamvis non competat eis secundum quod est in officium naturae » (*Summa Theol.*, *Supplem.*, quaest. LVIII, art. I, ad tertium). Et Sanchez dicit: « Nunquam auditum est (Ecclesiam) dissolvisse aliquod coniugium ratione sterilitatis: imo passim admittit senes ad illud ineundum, cum tamen eorum semen constet esse sterile... Etsi id matrimonium frustretur fine primario, qui est prolis generatio, consequitur tamen finem secundarium, nempe satisfacere concupiscientiae vera copula habita » (*De Matr.*, lib. VII, disp. 92, n. 26). Similiter loquuntur omnes Canonistae, tam antiqui quam hodierni.

Jamvero, si senes, qui non amplius producunt semen fecundum, ob defectum scl. nemaspermatum (exceptiones rarissimae ab Auctoribus adductae possunt forsitam destruere certitudinem mathematicam, sed non certitudinem moralem), sine difficultate ad celebrandum matrimonium admittuntur, hoc manifesto demonstrat Ecclesiam non exigere ut viri capaces sint reapse producendi nemaspermata. Et si id non exigit in senibus, non est ratio id postulandi in

aliis viris matrimonium contrahentibus. Si vero uterque testiculus aut prorsus deest aut irreparabiliter atrophizatus est, vel si viae spermaticae definitive occlusae sunt, tunc utique vir cuiusvis aetatis a celebrando matrimonio arcetur.

Si aliam ob causam semen fecundum non producitur, matrimonium non dirimitur; nam obiectum formale contractus matrimonialis non est procreatio filiorum, sed actio humana *per se* apta ad prolis generationem, licet haec actio per accidens effectu careat, seu « licet forte eadem copula ob aliquod particulare accidens senectutis, infirmitatis, etc., sit infecunda etiam necessario et absolute » (Gasparri, *De Matr.*, ed. 1932, vol. I, p. 318). Quamvis autem ob deficientia nemaspermata in certis casibus finis primarius matrimonii obtineri nequeat, tamen remanent semper fines secundarii matrimonii, praesertim sedatio concupiscientiae, quae etiam ex copula coniugali infecunda obtineri potest. Per se autem patet fines secundarios matrimonii fini primario esse subordinatos; cfr. *Decretum S. C. S. Officii diei 1 aprilis 1944* (*A. A. S.* XXXVI, p. 103) et Sententia Rotalis, *Romana*, 22 januarii 1944, n. 18 (*A. A. S.* XXXV, p. 187).

9. - In nullo proinde casu supra adducto prodest liquidum eiaculatum subiicere examini microscopico, ut eruatur, an aliquis vir praeditus sit semine fecundo: sive nemaspermata iam in dydimo vel in transitu ad extra mortua sint vel videantur; sive viva quidem sint, at tam pauca ut humore vaginali necentur; sive omnino desint. Qui defectus non obstant valido matrimonio. Siquidem matrimonium pro hominibus omnium populorum et temporum a Deo Creatore institutum est, neque celebratio validi matrimonii dependere potest a quovis examine microscopico liquidi eiaculati; tunc tantum matrimonium excluditur, quando externe et certo constat virum aut neutrum habere testiculum qui *per se* aptus sit ad producendum semen, aut definitive occlusas habere vias spermaticas; etenim amandanda sunt quaecumque media extraordinaria eaque inutilia ad examinandum liquidum eiaculatum.

Neque *oligospermiam* neque *necrospermiam* certo constituere impedimentum impotentiae, quod impediat celebrationem validi matrimonii vel ob quod declarari possit nullum aliquod matrimonium iam contractum, docet etiam cl. Vermeersch, scribens: « Suntne impotentes viri, qui semen aspermaticum fundunt, quales sunt qui testiculos servarunt minimos, similes parvis pisis: id non plane constat, quamvis S. Rota affirmanti sententiae semel saltem adhaeserit. Perinde dicas de eo qui mortua tantum emittit zoospermia » (*Theol. Moralis*, ed. 3, vol. IV, n. 47). A fortiori igitur impotentia coëundi in sensu canonico abest, si nemaspermata, quam-

vis viva, sed pauca ob oligospermiam, humore vaginali mulieris necentur. Idem valet secundum communem theologorum doctrinam et continuam Ecclesiae praxim de *azoospermia* senum, qui morali certitudine nemaspermatibus carent, sicuti supra iam dictum est. Siquidem senes absque ullo examine liquidi eiaculati dicendi sunt potentes, si seminis organo productivo et facultate id eiaculandi praediti sunt, seu in viris contrahentibus sufficit *potentia* producendi et eiaculandi semen, etsi haec potentia quavis de causa in actum non transibit seu novam vitam procreare nequit. Remanet ergo conclusio de inutilitate examinis liquidi eiaculati.

10. - Tale examen insuper est moraliter illicitum et turpe. Sane, si examen eiaculati institui nequit quin praecesserit operatio iuxta Theologiam Moralem graviter illicita, et ipsum examen fit illicitum. Ita autem est in casu, in quo semen examinandum procuratur per turpem masturbationem, ad obtinendam materiam examinandam.

Unde liquet consideranda non esse in foro ecclesiastico iudicia medicorum de eiaculato semine forte in actis contenta, ne Tribunalia ecclesiastica indirecte cooperentur futuris legis moralis laesionibus. Ceterum plerumque series examinum ideoque et masturbationum requireretur, ut constaret nemaspermata non solum ad tempus, sed iugiter abesse.

Quare intelligitur S. Congregationem S. Offici, ne huiusmodi graves abusus amplius in causus matrimoniales irrepant, *die 2 augusti 1929* explicite inculcavisse turpitudinem masturbationis, ad obtinendum liquidum examinandum institutae (*A.A.S.* vol. XXI, p. 490). Idipsum Summus Pontifex gloriose regnans, in adhortatione ad medicos catholicos *die 29 septembris 1949* Romae coadunatos, in eorundem memoriam revocavit: « Il est superfluo d'observer que l'élément actif ne peut jamais être procuré licitement par des actes contre nature » (*A.A.S.*, vol. XXXXI, p. 560).

Palmieri ad rem animadvertit: « Torna qui opportuno che nei processi canonici viene generalmente ricusato l'esame diretto dello sperma, perchè la sua volontaria effusione mediante masturbazione o coito condomato costituisce atto turpe e illecito; l'estrazione dai testicoli è mezzo straordinario e inconsueto ' ipsa natura contra reclamante ' (Cappello) »(*Medicina Leg. Can.*, p. 186). Nonnisi rarissime examen liquidi eiaculati licite fieri potest, nempe post pollutionem involuntariam, si patiens sit medicus vel aliunde peritus ad eiusmodi examen instituendum. (Cfr. Jorio, *Theol. Moralis*, ed. 6, vol. III, n. 1304, 2°, et 1306, 2°).

Praeterea iterum monendum est examen seminis esse inutile, potissimum ex causis sequentibus. Imprimis inhabilitas emittendi semen nemaspermata continens orta esse potest post nuptias, v. g.

turpi concubitu cum meretrice, cuiusvis aetatis vir sit; unde examen postnuptiale seminis nihil probat pro praeterito. Deinde morali cum certitudine constat senes non producere semen prolificum, nec tamen a matrimonio arcentur, quia impotentia coeundi impedit matrimonium, non vero sterilitas seu impotentia generandi. Quod igitur in senibus non obstat matrimonio, cur in iunioribus nuptias excluderet?

11. - *Eunuchos*, quippe qui utroque testiculo carent ideoque per se inhabiles sunt ad producendum semen verum effundendum, non solum ex generalibus principiis iuris, sed etiam ex notissima epistola Sixti V *Cum frequenter* diei 27 iunii 1587, ad Nuntium Apostolicum in Regnis Hispaniarum, esse impotentes ad contrahendum matrimonium, extra quodlibet dubium est.

Quaeritur tamen, *quid de eunucoidismo tenendum sit.* Eunucoidismus enim est « anomalia dello sviluppo per deficienza delle ghiandole endocrine che presiedono allo sviluppo degli organi sessuali, che rimangono aplasici, talvolta con criptorchidia, mentre tutto il corpo presenta caratteri femminei, forme tondeggianti, voce sottile, assenza di barba, ecc. » (Ferrio, *Terminologia medica*, ed 2, v. *Eunucoidismo*). Et idem auctor sub voce *distrofia ipofisaria* haec scribit: « Una insufficienza della ipofisi intervenuta nell'infanzia prima dello sviluppo dei caratteri sessuali determina una sindrome caratterizzata da mancanza dei detti caratteri, deficiente sviluppo dello scheletro e del sistema pilifero, tendenza al tipo femmineo con pelle liscia e sottile ed accumulo dell'adipe... Quando l'alterazione della ipsofisi sopraggiunga dopo la pubertà, si ha pure un regresso nella funzione dei genitali ed una modificazione dell'aspetto generale che giustifica il nome di eunucoidismo tardivo ». Quare eunucoidismus est aut *praepuberalis* aut *tardivus*.

Iuxta Falta (*Malattie delle glandole sanguigne*, p. 446) eunucoidismo laborant illi viri, « che, senza essere stati castrati, presentano clinicamente il tipo genuino degli eunuchi od almeno ad essi rassomigliano straordinariamente. Essi sono di statura assai alta, o almeno non inferiore alla media; addimostrano la tipica ripartizione del grasso degli eunuchi ed eventualmente spiccata adiposità; gli attacchi epifisari persistono per un tempo abnormamente lungo, le dimensioni dello scheletro sono caratterizzate da una lunghezza particolare delle estremità. Infine si trova un arresto più o meno spiccato dello sviluppo dei genitali con sviluppo insufficiente dei caratteri sessuali secondari. E' verisimile che in tali casi si tratti di un disordine di sviluppo che si insedia primieramente nelle glandole germinative e più specialmente nella glandola interstiziale, perchè il disordine funzionale della sola glandola generativa non causa

eunucoidismo ». Et de genitalibus virorum, qui eunucoidismo laborant, idem auctor animadvertit: « I genitali sono spiccatamente ipoplasici... l. c. pag. 458).

In specie eunucoidismus tardivus est « un quadro morboso caratterizzato da ciò che in un organismo già maturo, nel quale anche la funzione delle glandole sessuali ha già raggiunto il suo pieno sviluppo, si insedia un'atrofia dell'apparato sessuale... con regressione dei caratteri sessuali secondari... Le alterazioni eunucoidi tipiche dello scheletro non possono naturalmente più formarsi quando lo sviluppo si è già completato, ossia quando gli attacchi epifisari sono già completamente saldati » (p. 464).

« Può insediarsi una impotenza completa con impossibilità completa di coito. La libine può in pari tempo spegnersi completamente, ma, in altri esiste impotenza, mentre la libidine si mantiene sebbene in forma indebolita » (pag. 469).

Eunucoidismus igitur, abstrahendo a causis internis eum provocantibus, externe cognoscitur, potissimum ex his signis: « caratteri femminei », « statura assai alta », « lunghezza particolare delle estremità », « arresto più o meno spiccato dello sviluppo dei genitali »... aliquando habetur « impotenza completa con impossibilità completa di coito », « la libidine può in pari tempo spegnersi completamente ».

In facto.

. . . . . .

. . . . . .

(Partium ac testium depositionibus excussis, peritorum relationibus perspectis, sequens cogitur conclusio):

20) Asserta ab actrice de testiculorum defectu non probantur; sed contra, medicus qui virum conventum extraiudicialiter inspexit, peritique admiserunt conventum producere posse semen testiculare.

Quoad autem eunucoidismum, discordant peritiores.

Quibus omnibus in iure et in facto perpensis, Nos infrascripti Auditores de Turno..., decernimus et definitive sententiamus: « *Non constare de matrimonii nullitate, in casu* », seu ad propositum dubium respondemus: « *Affirmative, ad primam partem; negative, ad alteram partem* », idest *sententiam appellatam esse confirmandam.*

(sign.) Arcturus Wynen
Guillelmus Heard
Albertus Canestri.

Coram R. P. D. Pericle Felici, Ponente.

BRUKLYNIEN

Nullitatis Matrimonii

(ex invalida dispens. super imp. dispar. cultus ob insincere praestitas cautiones). Sententia definitiva diei 4 Aprilis 1951.

(*Omissis*) In Iure - 5 - Quod attinet ad caput invalidae dispensationis super impedimento disparitatis cultus, ob non sincere praestitas cautiones iure requisitas, adnotandum in primis est non valere huiusmodi dispensationem, nisi dictae cautiones a nupturientibus datae fuerint (cfr. *S. Off.* 21 iun. 1912: *AAS* IV, 443; *S.R.R., Null. matr.* d. 30 iunii 1910 c. Lega: *Albanen. in America*, Null. matr. d. 26 ian. 1948 c. Brennan; inter doctores: De Smet, *De spons. et matr.*, 590; Chelodi, *Ius matrim.* 59; Cappello, *De matrim.*, Romae 1947, 312; Prümmer, *Theol. mor.* III, 809 etc.). Canon autem 1061 ad quem remittit can. 1071 praescribit ut « cautionem praestiterit coniux acatholicus de amovendo a coniuge catholico perversionis periculo et uterque coniux de universa prole catholice tantum baptizanda et educanda ». Cautiones, ex paragrapho secunda eiusdem canonis, regulariter scripto exigendae sunt: imo possunt Ordinarii singulis in casibus alias rationes praescribere, quibus sibi comparare possint moralem certitudinem de cautionum implemento, quam legislator pro valore ipsius dispensationis districte exigit (can. 1061 § 1, 3; *S. Off.* d. 13 ian. 1932: *AAS*, 25).

6 - Quae omnia cum sint in doctrina et iurisprudentia perspicua, quaeri vero potest utrum ad valorem dispensationis sufficiat externa tantum cautionum seu promissionum praestatio, an requiratur ut interne quoque cautiones praestentur, adeo ut demonstrata forte falsitas in cautionibus praestandis, dispensationem in primis ac dein matrimonium ipsum irrita faciat. Uti legere est in citata *Albanen. in America*, c. *Brennan*, contra aliquos doctores qui primum tenent, plures alterum defendunt: alii demum videntes in tali concertatione dubium iuris, censent omnibus his in casibus, licet de insinceritate plene constet, esse pro validitate coniugii definiendum (Le Clerq, *De sacram.* p. 330 nota 4; Vlaming-Bender, *Praelect. iuris matrim.* 1950, p. 153; W. J. Doheny, *Canon. Proced. in Matrim. Cases*, vol. I, *Formal Iudicial Procedure*, p. 642). Omnibus tamen consideratis,

Patribus certum visum est non posse ad valorem dispenastionis sustineri cautiones insincere seu ficte praestitas: nempe ut dispensatio et matrimonium valeat, cautiones esse sincere praestandas, quandoquidem:

a) Legislator ad valorem exigit promissionem, non tantum scriptum aliquod documentum, vel si documentum exigit, ideo exigit ut certitudinem sibi comparet promissionis. Promissio autem est actus voluntatis quo quis ad aliquid faciendum omittendumve se obligat. Ubi talis voluntas deficit (et deficit certe in eo qui simulate agit), promissio non habetur, neque propterea obligatio moralis quae promissionem consequitur: frustratur igitur intentio et scopus legislatoris promissionem ad valorem exquirentis ideoque et cessat dispensationis beneficium. « Neque obiciatur-ita in citata *Albanen. in America*, c. *Brennan*, cui nostra cohaeret sententia-sinceritatem nullibi exigi expresse ad validitatem concedendae dispensationis. Exigitur enim ex ipsa natura cautionis quae in subiecta materia est actus scriptus quo quis aliquid solemniter promittit. Age vero, quando ab Ecclesia cautiones seu promissiones exiguntur pro dispensationis gratia, eae inteliguntur praestitae quemadmodum quaevis promissio. Quae ex sui ipsius notione nihil aliud est nisi manifestatio actualis voluntatis aliquid in posterum dandi, praestandi etc. Insincera promissio veri nominis promissio non est, cum nullam contineat actualem voluntatem aliquid faciendi ». Hisce relatis dissipatur difficultas, quam unam nostrae conclusioni obiecerunt, licet tantum per transennam, sententiae Rotales *Parisien.*, *Null. matr.* d. 11 aug. 1921 c. Solieri: et *Burdigalen.*, *Null. matr.* d. 3 martii 1942 c. Wynen. Ceterum ipsa *S. Congreg. S. Officii* in resp. d. 10 mai 1941 (*AAS* XXXIII, 294 s.) haud obscure manifestavit rationem potius habendam esse voluntatis promittentis quam scriptae externae declarationis, cum admiserit invalidum dici non posse matrimonium « si utraque pars saltem implicite cautiones praestiterit, i. e. eos actus posuerit e quibus concludendum sit et in foro externo constare possit eam cognoscere obligationem adimplendi conditiones et manifestasse firmum *propositum* illi obligationi satisfaciendi ». Quod si per obiectionem dicatur difficile posse ex non adimpletis cautionibus desumi voluntatem sese non obligandi, plane respondetur id spectare probationem simulationis seu insinceritatis, non ipsam insinceritatem seu simulationem in cautionibus praestandis.

b) Cuius vis irritans ex eo quoque deduci potest quod ad valorem dispensationis, uti enuntiavimus, lex exigit *moralem certitudinem* de cautionum implemento. Iamvero admissa simulatione in

praestandis cautionibus, corruit profecto fundamentum quo moralis haec innitatur certitudo. Neque obiciatur ex externa quoque promissione ingeri posse in mentem dispensantis moralem certitudinem: si enim attenditur finis a legislatore intentus, non tam valet in subiecta materia status mentis concedentis seu dispensantis, quam potius, ut patet etiam ex memorato nuper responso S. Officii, cumulus rationum et argumentorum « e quibus concludendum sit et in foro externo constare possit eam (scilicet partem promittentem) cognoscere obligationem adimplendi conditiones et manifestasse firmum propositum illi obligationi satisfaciendi ». Sed quaelibet rationes argumentaque cedunt simulationi seu numquam elicitae voluntati sese obligandi.

c) Citata sententia *Albanen. in America*, c. *Brennan* censet merito per insinceras cautiones manere adhuc contumeliam Creatoris, quam contra legislator intendit per exactas cautiones avertere. Hoc argumentum egregius Vinculi Tutor enervare videtur dicens « violationem huiusmodi gravis obligationis non inducere *iure naturae* invaliditatem actus v. c. matrimonii, cum tali periculo facti..... Unde etsi obligatio vitandi contumeliam Creatoris sit et maneat semper gravissima, clausula tamen cuiuslibet legis ad dictam contumeliam Creatoris impediendam editae, etiamsi sit dirimens, nonnisi a positiva voluntate legislatoris vim trahere potest. Verumtamen, omnibus his concessis, id vere constat legislatorem positiva voluntate idcirco cum valore irritanti statuisse cautiones ut contumelia vitaretur Creatoris: qua igitur non vitata imo per simulationem aucta, satis patet voluntas legislatoris beneficii dispensationis non largiendi. Quid enim interest inter eum qui cautiones neque explicite neque implicite praestat, et eum qui specie tectus promissionis, ovina scilicet sub pelle, gregem ingreditur fidelium, nisi quod hic longe sit peior illo? Itaque « cum per omnia sit eadem ratio utrobique: ergo idem ius ». (Ioannes Andreae, *Glossa in VI*, Venetiis 1591: c. *Saepe contingit*, tit. *De tempor. ordinat. et qualit. Ordinand. in VI*, pag. 143, col. 1). Non est ergo uni concedendus qui alteri denegatur favor.

d) Ne praetereamus denique (id quod nostram conclusionem oblique sed valide confirmat) frustra quidem dedisse S. Officium facultatem videndi etiam de invalida dispensatione ob insinceras cautiones si inde ab initio causa ob obiectum dubium iuris, tali sub adspectu, dimittenda esset. (*Omissis*).

Concluditur pro nullitate matrimonii ob invalidam dispensationem super imped. disparitatis cultus, ex non sincere praestitis a conventa canonicis cautionibus.

Coram R. P. D. Pericle Felici, Ponente.

NEOEBORACEN

Nullitatis Matrimonii.

(*Incidentis*: *reciectionis libelli*)

Decretum d. 30 mai 1499.

(*Omissis*) In Iure - 2 - Multum ante annum 1942 inter doctores et iurisperitos disceptatum est quinam in ordine ad accusationem matrimonii dicendus esset *causa impedimenti* (ut ex can. 1971 § 1) vel etiam *causa culpabilis sive impedimenti sive nullitatis matrimonii* (ut ex resp. Pont. Comm. Interpr. d. 17 iulii 1933): ast hodie ex responsione Pont. Commissionis d. 27 iulii 1942 scimus inhabilem esse ad accusandum eum unum qui impedimenti vel nullitatis matrimonii causa fuerit *directa* et *dolosa*.

3 - Requiritur igitur in primis ut sit causa *directa*. Causa directa alicuius rei is dicitur qui per voluntarium directum hanc rem efficit, et, in casu nostro, qui per voluntarium directum, impedimentum ponit vel matrimonii nullitatem procurat. Voluntarium autem directum (quod verius non est confundendum cum voluntario in se, quemadmodum voluntarium indirectum distat a voluntario in causa; cfr. S. Th. *1. 2*, 77, 7; Bucceroni, *Inst. morales* I, 54) definitur a S. Thoma « id in quod voluntas fertur » (S. Th. *l. c.*) eique, uti innuimus, respondet voluntarium indirectum seu « id quod a voluntate est sicut a non agente » vel etiam « id quod voluntas potuit prohibere sed non prohibuit » (S. Th. *l. c.*). Quod ut melius intelligatur recolendum est circa aliquod obiectum quadruplicem voluntatis actum considerari posse: *intentionem*, qua voluntas obiectum ut finem suae operationis appetit: *electionem*, qua voluntas media ad finem eligit: *permissionem passivam*, qua voluntas aliquid quod vitare potest, at non debet, reapse non vitat: tandem *permissionem activam*, qua voluntas sinit aliam causam in propriam actionem inseri. Palam est intentionem et electionem voluntati plene et directe imputari: non imputari vero quae ipsa pure passive permittit. Quaestio movetur de permissione activa: at dubium esse non potest quin si active permissa voluntati imputentur, non directe tanquam causae imputanda sint, sed indirecte tantum, utpote quae ab alia causa actionem suam in actionem voluntatis inserenti eliciantur et a voluntate mere permittantur. Aliis verbis hoc fit ut unus idemque actus voluntatis duo efficiat, aliud tamen ex ipsa voluntate procedens, aliud ex alia causa per accidens inserta: aliud itaque per se et directe, aliud per accidens et indirecte. Neque voluntario indirecto

obest quod effectus non intentus directe, fuerit praevisus: nuda enim praevisio pertinet ad intellectum agentis, non ad ipsam actionem neque ad agentis voluntatem ideoque causalitatem directam fundare nequit.

4 - Ex dictis patet esse causam impedimenti vel nullitatis matrimonii tantum indirectam eum qui rite suo pro marte nuptias ineat cum comparte quam valido connubio obicem apponere noverit: hic enim invalidas nuptias praevidet et permittit, non tamen vult directe. Consulto dictum est: *suo pro marte*: nam si pars media habeat quibus compartem reluctantem ad validas nuptias compellat hisque non utatur, non quidem indirecte sed directe matrimonii nullitatem procurare ea dicenda est: non enim solum permittit sed vult. Neque tamen obiciatur, cum matrimonium inter duos contrahendum sit, non pro suo marte agere eum qui, adhibitis in cassum aliis mediis, cum contrahente invalide, nuptias nihilominus ineat: siquidem etsi nuptiae sint contractus inter duos, unusquisque tamen de sua actione respondet et pro marte agere dicendus est qui consensum ex parte sua rite praestat et efficit quantum potest ut alia quoque pars rite consensum eliciat: quodsi nihilominus haec alia pars officium suum non adimplet, non ideo pars rite consentiens vocari potest impedimenti vel nullitatis matrimonii causa directa.

5 - Praeterea requiritur ut causa sit *dolosa*: non enim omnis causa directa, eadem est dolosa: ut puta si quis contrahendo excludat bonum prolis, putans invicibiliter id sibi esse moraliter necessarium, ne v. c. prolem venere infectam gignat: directe quidem matrimonii nullitatem is procurat at non dolose. Item est causa directa nullitatis qui consensui apposuit conditionem licitam et honestam, quae verificata non sit: hic tamen dici nequit causa dolosa (cfr. resp. Pont. Comm. Interpr. d. 17 iul. 1933 ad 3). Iamvero dolus in iure canonico supponit ex can. 2200 « deliberatam voluntatem violandi legem » i. e. culpam theologicam eamque gravem si de gravi, ut in praesenti, lege agatur.

Dolus praesumitur quandocumque lex violata fuerit (can. 2200 § 2), at talis praesumptio merito cedit veritati. Et si agitur de voluntario directo, abest dolus si habeatur ex parte intellectus talis defectus cognitionis et ex parte voluntatis talis defectus libertatis qui culpae theologicae gravi locum non relinquat (cfr. can. 2200, 2229 § 3).

In voluntario autem indirecto nullus dolus detegitur in eo qui ex fine bono ex gravique causa actionem ponat vel bonam vel indifferentem ex quo effectus malus, causalitatem quod attinet, aeque ac bonus sequatur: sunt principia Moralistarum notissima. Unde causa dolosa impedimenti vel nullitatis matrimonii dici nequit: a) qui nesciat malitiam sui actus seu ignoret proprium actum esse

contra legem: attamen non desinit esse causa dolosa et ideo inhabilis ad accusandum qui violatae scienter et libere legis ignorabat indolem inhabilitantem vel irritantem: eoque minus qui ignorabat solum se ex violata lege fieri inhabilem ad accusandum (cfr. can. 16 § 1 et can. 2229 § 3, n. 1); b) qui ad taliter contrahendum cogatur metu gravi extrinseco (cfr. can. 2205 § 2 et resp. Pont. Comm. Interpr. d. 17 iulii 1933 ad 1); c) qui ex gravi et proportionata causa, puta ex immenso erga sponsum amore, vel ad filios illegitime conceptos vel natos legitimandos vel ad effugiendum dedecus ex inhonesta relatione oriundum etc; sinat aliam partem invalide consensum suum praestare, dummodo, ut patet, ipse consensum rite praestet et omnia ante conatus sit ut matrimonii nullitas arceretur. In hoc ultimo casu, ex nullo capite actus positi malitia desumi potest: non ex actione ipsa quae bona est: non ex fine intento, qui est bonus: non ex effectu pravo qui a voluntate agentis directe non intenditur neque causa est effectus boni qui directe a voluntate intenditur: non denique ex causa quae gravis, attentis circumstantiis, dicenda est.

6 - Postremo praetereundum non est hisce in praeviis investigationibus caute esse verba partium accipienda: non semel enim contingit ut propria culpabilitas exaggeretur, ut facilior dein praetensae nullitatis declarationi via pandatur. Quapropter ubi de causa nullitatis directa et dolosa certo, omnibus consideratis, non constat, pro inhabilitate coniugis ad accusandum dicere neque possumus neque expedit. (*Omissis*).

Libellus, qui fuerat reiectus, admissus est.

Coram R. P. D. Pericle Felici, Ponente.

IANUEN

Nullitatis Matrimonii

(*Incidentis: restitutionis in integrum*)

Sententia interlocutoria d. 3 dec. 1949.

(*Omissis*) In Iure - 2 - Scriptum legimus apud Wernz: « Restitutio in integrum *generice* sumpta est remedium iuris extraordinarium quo qui notabiliter laesus est ob aequitatem naturalem a iudice competente reducitur in statum ante laesionem ». Si laesio fuit in ordine iudiciali, habes restitutionem in integrum *specifice* sumptam, quae igitur est reductio « in statum in quo quis erat ante sententiam ». (*Ius canon.* VI, 637: cfr. etiam L. Ferraris, *Biblioth.*, v. *Restit. in integr.* 1). Ergo restitutio in integrum est remedium extraordinarium et tunc tantum adhibendum cum media ordinaria ad ius

vindicandum non suppetunt: « nam si communi auxilio et mero iure munitus sit, non debet ei tribui extraordinarium auxilium ». (Ulpianus in 1. In causae cognitione 16 ff. De minoribus 4, 4). Quapropter restitutio in integrum supponit sententiam definitivam « quae cum aliis modis impugnari non possit, ita citatus Wernz, esset exsecutioni demandanda » (l. c.).

Quoad decreta vix concipitur hoc extraordinarium remedium, tum quia decreta vim definitivam plerumque non obtinent, tum quia, etsi per accidens vim habeant definitivam, vix non possunt per ordinaria remedia iuris corrigi et infirmari. Ceterum can. 1905 statuit restitutionem in integrum « adversus sententias » neque ulla est ratio ob quam tale extraordinarium remedium ultra sententias extendenda sit.

3 - Quod superest, restitutio in integrum exigit ut « de iniustitia rei vindicatae manifesto constet » (can. 1905 § 1), nam uti legimus in glossa in c. *Requisivit*, De in integrum restit.: « pro modica causa non datur restitutio »: de tali autem iniustitia, secundum citatum can. 1905, non constat nisi peculiaribus in casibus, quos canon enumerat et inter quos est *legis praescripti evidens neglectus*. Hic neglectus, uti asseverat Wernz, « non solum pertinet ad legem communem seu generalem, sed etiam ad legem particularem, imo ad sententiam iudicialem, contractus, fundationis alicuius tabulas, ultimas voluntates ceterosque actus iuridicos qui lege firmantur » (op. cit. VI, 639 e); non tamen comprehendere videtur, iuxta plerosque, leges processuales circa actus quorum recta positio debet invigilari et exigi a partibus interesse habentibus. (cfr. Wernz, ib. nota 13) *Omissis*.

Coram R. P. D. Pericle Felici, Ponente.

IANUEN

Nullitatis Matrimonii

Decretum d. 17 maii 1951.

Viso recursu partis actricis diei 31 iulii 1948, quo eadem pars actrix, post duplicem datam affirmativam sententiam, aliam a trib. Ligustico die 24 jan. 1947, aliam a Trib. Pedemontano die 20 sept. 1947, contendit se in prioribus instantiis falsum, instigante viro, dixisse; plures autem testes a viro corruptos fuisse, connitente advocato suo, cum quo omnem rem, inaudita prorsus uxore, gesserat maritus; — attenta investigatione iussu N. S. O. peracta; — attento quod post huiusmodi investigationem, neque Vinculi Defensor (ad

quem ex can. 1987 spectat jus appellandi, post duplicem sententiam pro nullitate), neque Promotor Iustitiae (ex bono publico) censuerint esse a sententia diei 20 sept. 1947 appellandum; — attento denique quod non expediat Tribunal Ecclesiasticum directe et ex professo de re oeconomica (quae una videtur oppositionem et recursum actricis provocasse) in praesenti causa interloqui, cum rectius de ea decernat iudex civilis: DECERNIMUS:

« Recursum partis actricis, de quo supra, non esse attendendum, ideoque locum dari can. 1988 ».

Decretum S. R. Rotae, quod hic refertur, casum quendam singularem respicit. Domina A. matrimonium suum accusaverat ob exclusum a viro bonum prolis et duplicem a tribunalibus regionalibus competentibus reportaverat sententiam pro nullitate. Cum intra terminos Vinculi Defensor appellationem nullam interposuisset, locus iam dabatur can. 1988, et iuxta can. 1987 ius erat coniugibus novas nuptias contrahendi. Sed ecce mulier actrix ad S. R. Rotam recurrit accusavitque falsi omnes-seipsa non exclusa — quotquot in prioribus instantiis deposuerant. Peracta iussu Tribunalis opportuna investigatione atque servatis de iure servandis prodiit decretum, quod refertur, unde firmatur: 1) ius exclusivum Defensoris Vinculi (salvo semper iure Promotoris Iustitiae) appellandi post duplicem sententiam pro nullitate: quod ius Vinculi Tutor exercet iuxta suam conscientiam et non per alicuius, puta iudicis, impositionem (cfr. P. FELICI, *Annotationes ad resp. Pont. Comm. Interpr. d. 29 maii 1947*, in *Apollinaris*, 1947, n. 3-4, fol. 232); 2) quod non expediat tractare penes tribunalia ecclesiastica directe et ex professo quaestiones oeconomicas coniugum, cum pro his praesto sit tribunal civile.

STUDIA
ET
CONSULTATIONES

COMMENTARIA
IN ADHORTATIONEM APOSTOLICAM
MENTI NOSTRAE PII PP. XII

(*cfr. textum in Monit. Eccles. vol. 76 (1951) pag. 7-52*).

SANCTITAS IN SACRO MINISTERIO

Rationem perscrutando inter contemplativam vitam et activam, S. Thomas hanc sibi ponit quaestionem: « utrum vita activa sit maioris meriti quam vita contemplativa » (2. 2ae. quaest. 182, art. 2).

Cui responsio prima atque immediata vitae contemplativae favet: « Radix merendi est caritas. Cum autem caritas consistat in dilectione Dei et proximi, Deum diligere secundum se est magis meritorium quam diligere proximum et ideo illud quod directius pertinet ad dilectionem Dei magis est meritorium ex suo genere quam id quod directe pertinet ad dilectionem proximi propter Deum. Vita autem contemplativa directe et immediate ordinatur ad dilectionem Dei, vita activa directius ordinatur ad dilectionem proximi. Ergo... »

Ad hanc vero atque tam dialecticam conclusionem in sua disserendi ratione Angelicus cum pervenisset, Ipse admonet apostolicum studium ipsius impetum contemplationis superare, si integro caritatis ardore nitatur: « potest tamen contingere quod aliquis in operibus vitae activae plus mereatur quam alius in operibus vitae contemplativae: puta *si propter abundantiam divini amoris*, ut eius voluntas impleatur, propter ipsius gloriam, interdum sustinet a dulcedine divinae contemplationis ad tempus separari: sicut Apostolus dicebat: optabam ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis ».

S. Thomae doctrina, perspicua ac aequo examine posita, etiam atque etiam nobis venit in mentem, cum de pontificiae Adhortationis ad Clerum — *Menti nostrae* — secunda parte meditemur.

In ipsa etenim ita Summus Pontifex sanctitatem in sacerdotum ministerio rogat, ut non tantum aliquando vel paucis, sed omnibus sacerdotibus incumbat onus illam habendi abundantiam divini amoris, quae ipsos dispensatores faciat mysteriorum Dei (I *Cor. IV*. 1), semper ad Christo Iesu, caritate perfecta, inserviendum intenti, viresque proprias pro omnium fratrum salute atque utilitate referendas.

Manifesto iam oritur neque intellectui difficilis est, etiam ex simplici Adhortationis lectione, paterna Pontificis sollicitudo atque anxietudo de illis, qui, ob peculiaria rerum temporumque adiuncta,

in externarum actionum vorticem nimio saepius ita se ingurgitarunt, ut primum neglegerent sacerdotum officium, sc. sanctitatis sibi ipsis procurandae. Hi enim vitam activam contemplativae praeponunt ita namque ut hanc ipsam facile cohibeant atque exstinguant. Est illa « erga plurima » sollicitudo, cui illud « erga plurima turbaris » necessario adicitur, de quo Ipse Christus Dominus Martham obiurgaverat. Est non modo immodica arrogantia, humanis tantum viribus nostrorumque temporum artibus innixa, mundi salutem procurandi, verum etiam error eorum, quibus plurimas satis est inspicere frondes, fructus autem negligere non verentur. Est tandem peccatum dictitantium se expetere Deum, cum reapse seipsos quaerant commodisque suis servire studeant, et quandam fragilem caducamque mercedem miserabiliter rogent, quae illos vero divina ac aeterna adimit.

Quae « actionis haeresis » iure meritoque appellata, temptatio quidem non levis est sacerdotali muneri incumbentibus, speciebus gestibusque diversis utentibus pro variis locis atque adiunctis, ingeniis rerumque condicionibus.

Ipsa e solidis confirmationibus rerumque initialibus eventibus fere oritur ac incremento prolationeque laboris augescit, cum et expectationes omnium animos magis permoveant atque aliorum conditiones imperiosae evadant.

Pons animi magnitudine iniectus, ut longe positi in propinquo jaceant, captiosa fit invitatio ut et illuc transitus fiat atque modi rationesque adhibeantur, quae in aliis vero cum exitus fascinatione inveniantur.

Quibus adiunctis evenit ut, sive munium ac rerum sive cogitationum atque operum universitate, tempus ad precationes meditationemque non suppetat. Iter ita machinae celeritate pergitur, ut animus nec excolatur nec sublevetur. Inscriptio utique adhuc legitur ipsaque ad apostolatum pertinet, sed pittacium quoddam potius est atque vacuum. Tunc animarum studium iam non introspicitur, cum earum locum et procurationes et aedificia variaeque res teneant, certamenque fiat cum aliis, ita ut quasi ludi specimen habeatur, in quo optimus reputetur sive qui fortius currat ac primus perveniat, sive qui maius alios obstupescere vel altiori loco clamitare atque platea plene potiri queat... « Et erunt novissima hominis istius peiora prioribus » (*Lc. XI, 10*).

Precationis ad Deum primatus atque consequenter ipsius sanctitatis in sacerdotibus perspicue a Summo Pontifice affirmatur verbis illis: « Quin imo, dum ipse ad sanctitatem nititur, suumque munus summa perfectione exercet, tam studiose debet Iesu Christi partes agere, ut verecunde queat Apostoli gentium iterare sententiam: « Imitatores mei estote, sicut et ego Christi » (I *Cor. IV, 16*).

« Induimini Dominum Iesum Christum » (*Rom. XIII, 14*); « Hoc autem sentite in vobis quod et in Christo Iesu » (*Phil. II, 5*).

Illud semper prae oculis habeatur: « Sacerdos alter Christus ». Tunc vero exclamare quit cum Christo: « mea doctrina non est mea, sed Eius qui misit me » (*Io. VII, 16*). « Verba, quae ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt (*Io. VI, 64*) »; illis autem, qui verba Ipsius audiant Christus dicit: « si vos manseritis in sermone meo, veri discipuli eritis et cognoscetis veritatem et veritas liberabit vos » (*Io. VIII, 31-32*); nolentibus autem Illum audire: « vos me non auditis, quia ex Deo non estis » (*Io. VIII, 47*).

Sacerdotis praedicatio, qui suam ipsius vitam, virtutibus praeditam christianaque caritate auctam, demonstret cum Christo esse absconditam in Deo, vim insolitam habet.

Saepissime populus, qui sacerdotes audit, argumentationum gravitatem, ad ipsam veritatem nuntiatam probandam, intelligere nequit, cum et illi desit sufficiens christiane doctrinae institutio, ad ratiocinium atque ad meditationem habilitas, animique tranquillitas ab aliis externis praeccupationibus distenti.

Tunc alia via persuasio obtinetur, aestimatione sc., fiducia atque veneratione. Populus etenim qui suam habet etiam veri perspicientiam, audit Dominum in sui *Ministro* adesse, « tamquam Deo exhortante per eum » (*II Cor. V, 20*).

Sacerdos vero cum in se suosque in mores vivam fere referat Iesu Christi imaginem, omnes, qui eo magistro utantur, intima quadam suasione compulsi, facile cognoscunt eum non sua, sed Dei verba loqui, itemque non sua, sed divina virtute operari, iuxta S. Petri verba: « Si quis loquitur, quasi sermones Dei; si quis ministrat, tamquam ex virtute, quam administrat Deus » (*I Petri IV, 2*).

In sua Adhortatione Summus Pontifex non tantum simplicem veritatem revocat, sed etiam sacerdotem docet rationem qua sequi oporteat Redemptoris exempla; hoc modo, illud Christi, « exemplum dedi vobis » referri non licet ad gravem narrationem tantum orationi insertam ultimae Coenae, nec etiam verba « discite a me » ad Eius doctrinae institutionem sunt restringenda.

Tota Redemptoris vita *monitum* est sacerdotibus et *exemplum*. « Qui autem vult plene et rapide Christi verba intelligere, oportet ut totam vitam suam illi, idest Christo, studeat conformare. Summum studium nostrum sit... » (*De Imit. Christi I, 1*).

Quod ceterum nihil aliud est nisi sacerdotalis vocationis consectarium.

« In Calvariae monte — monet S. Pontifex — Divini Redemptoris fuit transverberatum latus, ex quo sacer eius cruor defluxit, qui veluti amnis per saeculorum cursum exundans, animos hominum eluit, eorum peccata expiat, eisdemque salutis thesauros impertit.

Ad hoc autem celsissimum obeundum ministerium sacerdotes destinantur. Sunt etenim ipsi non tantum mysteriorum Dei dispensatores, Christique ministri ac custodes eiusque sanguinis distributores, cum lucis et gratiae et veniae Apostolorum caritatisque testium munere fungantur, sed etiam ad eiusdem mystici Corporis fovendum nimis conferunt, cum novos continenter debeant Ecclesiae filios donare, eosque educere, excolere, moderari ».

Quomodo haec, quae vero magna onera sunt quaeque Angelorum munus efficacia et dignitate praestant, spectare possint, si iis sanctitas defuerit? De sanctitate, utique, loquor, cum mediocritas, animi remissio, periculosa morum opinionumque consensio, una cum divina gratia etsi esse possint, aliquoties etiam inter Christi ministros radices capiant, quippe qui fataliter « ficum habentem folia... et nihil praeter folia » (*Mc. XI, 13*) gignant.

Quorum « *officialium publicae salutis*, qui sacerdotale munus in commune officium aut in fontem personalis subsidii vel etiam in quoddam scamnum vertunt ut unius cubiti plus quam aliis in altitudinem emineant, S. Iudas optime quasi lucis opera imaginem expressit verbis illis: « Convivantes sine timore, semetipsos pascentes, nubes sine aqua, quae a ventis circumferuntur; arbores autumnales infructuosae » (*Iud. V, 12*).

Istorum industria et labor, iuxta ipsius Summi Pontificis mentem, ad aliquid naturale, vacuum, periculosum sibi ipsis et Ecclesiae reducitur.

Nonne est forsitan haec prima, vera ac summa ratio tantae exilitatis demisisonisque christianae vitae? « Talis populus qualis pastor eius » admonet Spiritus Sanctus.

Tamen non semper cito huismodi mediocris, exilis, virtutumque sterilis ac sine ardentis animi impetu laboris damna conspiciuntur, cum opes, quondam extructae, omnibus minimisque temporum punctis, rationis acceptorum ac datorum debita statuere non sinant.

Casus tamen non desunt in quibus sacerdotes, cum munus quibusdam in locis, atheismo, rerum religiosarum despicientia, perditis moribus ac odio clericali infectis, adimplere cogantur, antiquam edere opssint lamentationem: « patres nostri peccaverunt et non sunt et nos iniquitates eorum portavimus » (*Thren. V, 7*).

Sed hismet rationibus in sacerdotali ministerio sanctitas ut condicio requiritur, quae substitui differrique nequeat nec liceat. Ex quo sanctitatis munere studium oritur prudens atque generosum. Tunc, iuxta S. Pontificem, omnibus manifestum patebit « sacerdotem, quamvis sua agendi ratione nihil aliud quaerere, nisi animorum bonum, ad nihil aliud spectare, nisi ad Christum, cui suas vires ac semetipsum consecrare debet ». Tunc ministerium, divina virtute praeditum, ipsam virtutem cum aliis communicare poterit,

caritatisque exercitium idem erit ac Apostolus in celebri ad Corinthios textu (*I Cor.*, *XIII*) describit, atque omnes, inopes opulentosque, amicos inimicosque, fideles atque infideles comprehendet.

Neque hoc modo difficile sacerdoti erit immodicam continere cupiditatem ut in bonum hominem evadat, animumque neque demittet si, per speciem, in cassum multas operas multosque labores consumpserit.

Tunc, veritatis ministrator, errores acriter funditusque tollet, ad indutias non consentiet, numquam compromissum faciet atque libidinibus, detrimentis, erroribus atque mollitiis numquam indulgere audebit, sed vi percipiendi, benevolentia, patientia, clementia, atque longanimitate cum delinquentibus errantibusque pollebit: « memor quia et ipse circumdatus est infirmitate » (*Ad Hebr.*, *V*, *2*), et prae oculis habens viatoribus misericordiam superesse.

A vitae Magistro autem eius operositas non tantum sapientiae disciplinaeque luce collustrabitur, caritatisque ardore fovebitur, verum etiam fulgida erit personalis vitae ratione, quotidiano exemplo, vitae immolatione necnon — ut ipse S. Pontifex ait — « sanctissimorum illorum virorum aemulator, qui elapsa aetate immensis exantlatis laboribus praeclare testati sunt quid possit hoc in mundo operari divinae gratiae potentia ».

Sincere demisseque sacerdos sibi illam Apostoli gentium sententiam tribuere possit: « Ego autem libentissime impendam et superimpendar ipse pro animabus vestris » (*II Cor.*, *XII*, *15*). Et etiam: « Gratia autem Dei sum id quod sum, et gratia eius in me vacua non fuit, sed abundantius omnibus laboravi; non ego autem, sed gratia Dei mecum ». (*I Cor.*, *XV*, *10*).

Quod vero ut ad effectum perducatur, opus est sacerdos se esse solum non putare. Homo etenim, cum sit, « ex hominibus assumptus », aliquo duce eget, qui ipsi solacium praebeat, cum ipso sentiat ipsique adiumento sit.

Idem, etsi animorum pater, cum et ipse patre egeat, Episcopum suum sciat hoc munere fungi, cui obsequium oboedientiamque praebeat, verborum Apostoli gentium memor qui de Episcopo ait: « pervigilat, quasi rationem pro anima illorum redditurus » (*Ad Hebr. XIII*, *17*).

Patrem quoque habeat in animi necessitatibus et Spiritus Directorem, qui, humilitate fervidaque caritate praeditus, « inter mundanas varietates », illum moderari, « in periculis et in tentationibus » sustinere, « in angustiis et in infirmitatibus » idem sentire, atque « in visceribus Iesu Christi » diligere sciat.

Est vero maxima animi nostri gratificatione solatioque, hac in pontificia Adhortatione ad Clerum universum destinata, italicum legere Sacerdotem Iosephum Cafasso in exemplum adductum, qui

plus quam humanas suo in ministerio perficiendo virtutes fuerit assecutus, a latronibus, capite damnatis, ad sacerdotes animorum curae incumbentes, perinde ac significare voluisset in sacerdotalis muneris amplitudine, a flagrante caritate Christi, neminem esse excipiendum.

† Ioannes Urbani
Archiep. Tit. Sardian.

CLERUS ET QUAESTIO SOCIALIS

Notandum imprimis est consilia a Sanctissimo Domino nostro Papa Pio XII data, de quaestionibus ad societatem pertinentibus, in illa *Adhortationis ad Clerum universum* parte praecise inveniri, quae ad nostrorum temporum difficultates refertur.

Haud dubio ex ea perspicuum erit Pontificis mentem illam esse, ut novi clerici in novitatibus, ad quaestionem socialem pertinentibus, cauti sint.

Si vero ex novis clericis nonnulli temere imprudenterque egerunt (quod *Adhortatio* notat quodque apertum apparet), rationes facile perspici queunt.

Quibusdam in populis novi clerici tamquam vulnus in latere Ecclesiae populorum apostasiam intellexerunt, quam bellum ultimum ingens eiusdemque eventus, qui sequuntur, manifestiorem effecerunt.

Non pauci opinati sunt, Ecclesiam ex una parte et opificum coetum egentem ex altera parte non eodem uti sermone, ac proinde impossibile esse eodem teneri foedere.

Invitentur, quaeso, operariorum turbae e fabricis meridie exeuntium, ut cuidam Missae planae aut Christianae doctrinae institutioni intersint: quid de hoc ipsi sentire valeant? Hinc desiderium attingendi turbas exoritur, eodemque utendi sermone.

Dum haec geruntur, Ecclesiae locum interim doctrina illa occupabat, quae fundos aequaliter inter omnes dividere, et, aequato patrimonio, neminem potentiorem altero reddere pollicitabatur.

Quae doctrina non tantum firmabatur ex eo quod unica pars proletariorum videretur, sed etiam quod pietatem erga patriam traderet christianisque manum porrigeret.

Statim post bellum magna fuit perturbatio omnibusque locis trepidabatur. Ex clericis autem quidam, etsi bona fide, quosdam christianos probos tamen crediderunt munus posse obtinere in ipsis

operariorum collegiis, Communismo moderante, et ipsius unitatis proletariorum nomine.

Qua ratione ipsi christianas ideas se illuc immissuros consiliisque rei publicae capessendae posse adesse sperabant.

Eventus tamen fidentissimos docuerunt Marxismum, ipsa rei natura, Deum esse negare, cum plane pateat Marxismum non profitentem doctrinam materialisticam, sive historicam sive dialecticam, intelligi non posse.

Quibus rationibus nisus, Summus Pontifex Pius XII satis iudicavit referre, aliquibus in locis suae Adhortationis, Decretum Supremae Sacrae Congregationis S. Officii, Romae datum Kal. Jul. 1949, aperte asserens non solum licitum non esse partibus communistarum nomen dare vel eisdem aliquo modo favorem praestare, sed etiam edere, propagare vel legere libros, periodica, diaria vel folia, quae huiusmodi doctrinae vel actioni patrocinentur, vel in eis scribere.

Ex hoc Decreto eruitur etiam christifideles, qui communistarum doctrinam materialisticam et antichristianam profiteantur, imprimisque qui eam defendant vel propagent, ipso facto, tamquam apostatas a catholica fide, in excommunicationem Sedi Apostolicae speciali modo reservatam incurrere.

Sed dimicatio in duplici acie fit, cum doctrina de bonorum aequatione unicum periculum non sit. Non desunt etenim « qui se pavidos atque incertos ostendant, ad oeconomicam illam rationem quod attinet, quae a nimio privatarum divitiarum congestu nomen invenit ».

Summus Pontifex vero distincte nec semel designat Ecclesiam non tantum ingentium opum, sed et ipsius possidendi iuris abusus indicasse, quos eadem oeconomica ratio parit ac defendit.

Quattuor potissimum pontificiae institutiones prae oculis habendae sunt: Encyclica *Quadragesimo anno*, quam omnes cognoscunt; Nuntius Radiophonicus Kal. Jun. anno 1941 editus, quinquagesimo *Rerum Novarum* anno exeunte; [1] Nuntius Radiophonicus diei Nativitatis D. N. J. C. 1942; [2] Nuntius Radiophonicus kal. Sept. 1944, ineunte quinto anno immanis secundi belli [3].

Notum autem est praecipuum flagitium, quo Pius XI illam obiurgat oeconomicam rationem, quae nomen invenit a nimio privatarum divitiarum congestu. Ob societatum pecuniarum sine nomine formam atque inspectionem super ipsis ab argentariis actam, possessor omnibus officiisque essentialibus est spoliatus, cum ipse

---

[1] Cfr. I. Giordani, *Le Encicliche sociale dei Papi*, 3 ed. p. 635.
[2] Cfr. ibid. p. 663.
[3] Cfr. ibid. p. 693.

dispensatoribus demisisset quamcumque administrationis satisdationem atque argentarii, quorum est dividendi nomina, ipsos possessores sub custodia habuissent [4].

Oportet autem animadvertere ad abusus in ipso proprietatis iure exercendo.

Pius XI, post Leonem XIII, proprietatem internovit ab usu. Si dives, satis redituum habens, ad liberalitatem tenetur atque ad magnificentiam, ut hoc officium exsequatur, unica ratio et via ipsi est:

« l'impiegare più copiosi proventi in opere che danno più larga opportunità di lavoro, purchè tale lavoro sia per procurare beni veramente utili ».

Quod tamen satis non est. Pius XI parvum ditissimorum numerum indigentiumque multitudinem adibat. Ecce ratio qua ipse petebat « di procurare con tutte le forze che i capitali guadagnati non si accumulino se non con equa proporzione presso i ricchi, e si distribuiscano con una certa ampiezza fra i prestatori di opera... perchè con l'economia aumentino il loro avere ed amministrando con saggezza l'aumentata proprietà possano più facilmente sostenere i pesi della famiglia » [6].

Veniam dare operario sustinendae facilius familiae, ita ut ipsemet non amplius sit in condicione proletariorum, aliquid privatae proprietatis habens, est praecise argumentum de quo Pius XII instat, cum ius familiae ad *spatium vitale* affirmet.

Quod *spatium vitale* ab ipso Pontifice kal. Jun. exeunte quinquagesimo encycliorum *Rerum Novarum*, determinatur:

« ... il terreno, il podere, in cui abita la famiglia, e dai cui frutti trae interamente o almeno in parte il di che vivere » [7].

Quod necessarium est quidem bono ipsius societatis, cum « solo quella stabilità, che si radica in un proprio podere, fa della famiglia la cellula vitale più perfetta e feconda della società » [8].

Et cum nequeat operarius proprietatem consequi, nisi parsimoniis quae e fructu sui laboris oriantur, ex hoc distincte designari quit qualis sit aequa merces.

Operariorum dignitas exigit « oltre ad un salario giusto, sufficiente alle necessità dell'operaio e della famiglia, la conservazione ed il perfezionamento di un ordine sociale che renda possibile una sicura se pur modesta proprietà privata a tutti i ceti del popolo » [9].

Exacteque, Nuntius Radiophonicus Pii XII kal. Sept. editus, 1944, erorres clare ostendit societatum pecunias fenore collocantium

---

[4] Cfr. ibid. p. 693.

[6] Cfr. I. Giordani, *o. c.*, p. 389, n. 29.

[7] Cfr. I. Giordani, *o. c.*, p. 645, n. 14.

[8] Cfr. I. Giordani, *o. c.*, p. 645, n. 14.

[9] Cfr. I. Giordani, *o. c.*, p. 674, n. 20.

erga ius proprietatis. Nam « la coscienza cristiana non può ammettere come giusto un ordinamento sociale che o nega in massima o rende impossibile o vano il diritto naturale di proprietà, così sui beni di consumo come sui mezzi di produzione » [10].

Quinimmo, potissimum, est falsa iuris proprietatis doctrina in eo qui pecunias fenore collocet, « arrogarsi sulla proprietà un diritto illimitato, senza alcuna subordinazione al bene comune » [11].

Qui error vere immoderatam divitiarum coacervationem effecit, quae, sub specie societatis sine nomine, officia ipsius societatis devitant.

Ipsa sine nomine societas in se recipit condicionem impositam « alla piccola e media proprietà, ridotta ad una lotta difensiva sempre più dura, e senza speranza di buon successo » [12].

Quas ob rationes ac iuris proprietatis falsam doctrinam, multitudines « prive di ogni diretta od indiretta sicurezza della propria vita », sese civilium partium contionatoribus plane dederunt, « schiave di chiunque prometta loro, in qualche modo, pace e tranquillità » [13].

Ratio igitur, qua operarius bellum sociale gesserit contra divites in eo praesertim reponenda est, quod ipsi ablata omnimo fuerit quaelibet spes quandam sibi proprietatem adipiscendi.

Tum vero « ci si espone alla dittatura di un gruppo politico, che disporrà, come classe dominante, dei mezzi di produzione, ma insieme anche del pane, e quindi della volontà di lavoro dei singoli » [14].

Extrema manent consilia quae ad animorum pastoris munera referuntur:

« Andare incontro ai poveri ed ai ricchi - formare i laici ai doveri sociali » [15].

Verissimum est D. N. J. Christum pauperum esse amicum, sed ille divites non excipit; ac si difficilius est diviti in regnum coelorum intrare, quam camelo per foramen acus ingredi, nostrum est illi auxilio esse.

Aemulatio, vere nimis laudanda, inter nostros iuvenes sodales exculta est, ac ego, omnibus in Nationibus, pro exheredibus, opinor.

Quisnam de hac re eos reprehendere audeat? Et inter exheredes, novi pauperes inveninutur, dissimulati ac incogniti. Tot familiae scilicet, quondam opulentissimae, quae nunc, ex stabilibus re-

---

[10] Cfr. I. Giordani, *o. c.*, p. 699. n. 10.
[11] Cfr. I. Giordani, *o. c.*, p. 699, n. 10.
[12] Cfr. I. Giordani, *o. c.*, p. 699, n. 10.
[13] Cfr. I. Giordani, *o. c.*, p. 700, n. 11
[14] Cfr. I. Giordani, *o. c.*, p. 701, n. 13.
[15] Cfr. I. Giordani, *o. c.*, p. 701, n. 13.

ditibus viventes, infelices, ob nummos ad inopiam redactos, facti sunt! Sensim et paulatim ipsi, sive gemmas et picturas, sive supellectilem, argentum ac lintea venditarunt aut pignori dederunt. Quique senectute jam cum affecti fuerint, haud dubio et infelicissimi habebuntur.

Sed iniuste agemus si, timentes ne ad cultiorem vitae usum nos traducamus, familias fortunatas ac locupletes neglexerimus.

Istis pietas ac religio non minus desunt quam prioribus, cum vero ex illis quoque non nulli inveniantur qui ad religionem ac mores quidquid pertineat, omnino ignorent.

Ratio autem praestantissima, qua his illisque iuvari quaet, est eos officia caritatisque societatem docere.

Nonne est, etsi non aperte, appellatio quaedam forsan ad Actionem Catholicam? Nonne fructus ad ipsam redundat, si, in nostrorum operariorum animis, non tantum iura sed et officia inculcare audeamus?

Velim hoc modo concludere. Onus nostrum denique atque munus facile est, cum animos promptos ac alacres in illis, qui ad nos accedant, inveniamus. Aliquid ignorantiae, praeiudicii ac erroris est iis; sed quis nostrum docilitatem in auditoribus obtentam, qui obsistentes videbantur doctrinae Ecclesiae aperte expositae etsi quadam cum severitate, non sit miratus?

P. Georgius Jarlot S. J.
in Pont. Univ. Gregoriana Professor

N. B. - *Alia commentaria in Adhortationem Ap.* Menti Nostrae *Pii Pp. XII in sequentibus fasciculis edentur.*

DE DISCIPLINA SACRAMENTI MATRIMONII PRO ECCLESIA ORIENTALI SUB LUCE C. J. C.

Pius XII. f. r. publicavit in Periodico *Acta Apostolicae Sedis* vol. XXXXI (1949) n° 3. p. 89-119 per Motu Proprio *Crebrae allatae sunt* leges *de disciplina Sacramenti Matrimonii pro Ecclesia Orientali* sub data XXII mensis Februarii, in festo Cathedrae S. Petri in Antiochia, a. 1949. Litterae Apostolicae exsecutionem suscipere coeperunt a die secundo mensis maii 1949, festo S. Athanasii Pontificis et Doctoris. Haud absque utilitate erit comparare inter se ius matrimoniale Ecclesiae Orientalis et Occidentalis. Notandum vero est Codicem Ecclesiae Orientalis sequi tum dispositionem tum legislationem Codicis J. C., allatis utique quibusdam mutationibus, quae partim ex ipso jure Orientalium hucusque vigente resultant v. g. relate ad impedimentum affinitatis, partim autem reddunt *clarius* sensum legis, respectis nempe in commodum textus legislativi declarationibus hucusque editis authenticis. Ex mutationibus inter utrumque Codicem resultantibus sequentes notasse iuvabit: can. 4 par. 4 (= can. 1015 par. 4) matrimonium *putativum* definivit uti matrimonium invalidum, si in bona fide ab una saltem parte celebratum fuerit *coram Ecclesia* (dec. auth. 26 jan. 1949. *A.A.S.* vol. XLI p. 158). Can. 6 de sponsalibus (= can. 1017) servat pressius characterem sacratum sponsalium; nam illi testes duo, de quibus can. 1017 par. 1, eliminantur et loco eorum ponitur sacerdos, cui aut a parocho aut loci Hierarcha facta est facultas assistendi. Quae tamen facultas supponit aliam, sc. delegationem ad validam assistentiam matrimonialem. Quamvis hucusque in Ecclesia Orientali nulla forma *canonica* pro ineundis *validis* sponsalibus statuta fuerit, tamen viguit consuetudo generalis celebrandi sponsalia cum ritu liturgico aut simpliciori aut sollemniori. Diversae Synodi v. g. Alexandrina Coptorum a. 1898, Sciarfensis Syrorum a. 1888, antiquior Synodus Maronitarum a. 1736 inculcant antiquam et laudabilem consuetudinem contrahendi sponsalia praesente et benedicente parocho stricte observandam.

Circa *delegationem* in ordine ad celebranda sponsalia S. C. C. proposita fuit quaestio n. VI: « utrum sponsalia (ad normam Decreti *Ne temere* de 2 aug. 1907, de sponsalibus n. I, *Fontes C. J. C.* vol. VI n. 4340) praeterquam coram Ordinario aut parocho, celebrari valeant etiam coram ab alterutro *delegato* ». S. C. sub data 28 mart. 1908 respondit: « Negative ». (l. c. n. 4349). S. R. R. 31 aug. 1912 *coram Sincero* citando hanc declarationem — falso septembri pro martio — habuit sponsalia a. 1911 contracta invalida, utpote « subsi-

gnata non a parocho, sed a sacerdote a parocho delegato ». (*Decisiones S. R. R.* vol. IV p. 429). Quam declarationem etiam pro jure Codicis tenuerunt auctores prout CAPPELLO, *De Matrimonio*, ed. V n. 92. 9°; DE SMET, *De sponsalibus et Matrimonio*, ed 4, n. 10. Ratio est: parochus fungitur munere testis qualificati; quod officium delegari nequit nisi ex expressa facultate legis speciali.

Can. 1017 par. 2 facta est supervacanea; nam loco documenti a partibus et requisitis testibus subscripti can. 6 par. 2 n. 2 ponit textum: « ille qui matrimonii promissioni assistit, obligatione tenetur curandi, ut eius celebratio in libro sponsalium adnotetur »; exemplum v. g. habetur in Synodo Libanensi Maronitarum II, XI, 5 (*Fonti*, fasc. XII. n. 839). Etiam can. 1017 par. 3 subiit in can. 6 n. 3 quandam mutationem; omisit enim textum: « licet valida sit nec ulla iusta causa ab eadem implenda excuset ». Sine dubio valet etiam post novum ius matrimoniale orientale sententia Synodi Libanen.: « Peccat mortaliter non solvens promissum, nisi legitimum impedimentum proveniat » (l. c. n. 1421); n. 1423 allegat octo causas, e quibus sponsalia, etiam iuramento firmata, dissolvuntur. Sine dubio valent etiam in Oriente, quae cl. CAPPELLO (l. c. n. 110 sq.) optime exponit contra quosdam auctores ibi nominatos circa gravem obligationem moralem ex validis sponsalibus resultantem. Canon 6 par. 3 forsan ideo abstrahendum censuit a textu citato in can. 1017 par. 3, ut obligationem moralem eliminaret e textu iuridico. Characterem sacratum sponsalium de novo insinuat can. 7 tum monendo sacerdotem promissioni matrimonii assistentem, ut benedictionem liturgicam impertiat tum illam reservando sponsis *catholicis*.

Publicationes matrimonii quod attinet, can. 12 normas sequendas relinquit iuri particulari. Quam materiam bene evolvit cit. Synodus Libanen. (*Fonti* l. c. n. 1204-1212; cfr. insuper *Fonti* vol. V; VII; X; XV sub v. *Sponsalia*).

Can. 16, qui correspondet can. 1026, hanc habet clausulam: « salvo praescripto can. 32 ». Necessitas huius clausulae resultat ex can. 32, in quo tum Hierarchae tum Patriarchae conservantur ampliores facultates, quae ex privilegio vel iure particulari ipsis competant; cfr. *Fonti* sub verba: *dispensatio; impedimenta;* v. g. vol. XII n. 481: solus Patriarcha (Maronitarum) ex concessione R. P. dispensare potest circa impedimenta dirimentia et circa votum simplex et absolutum perpetuae castitatis et religionis.

Ex capite secundo de impedimentis in genere plures mutationes notandae veniunt. Can. 26 (= can. 1036) non amplius loquitur de impedimento impediente, sed *prohibente*. Terminus autem « *dirimens* » retentus fuit, quamvis non est bene electus; nam dirimi id solum potest, quod iam existentiam habet; unde vox « irritans » pressius sensum can. 26 daret. Insuper distinctio inter impedimen-

tum *prohibens* et *dirimens* non est adaequata; nam etiam impedimentum dirimens prohibet nuptias celebrandas; porro vetito ineundi matrimonii clausula dirimens addi potest (can. 29 par. 2 = can. 1030 par. 2).

Can. 1037 sequentem definitionem impedimenti publici et occulti dederat: « publicum censetur impedimentum, quod probari in foro externo potest; secus est occultum ». Quae definitio legalis haud exiguam creavit difficultatem; nam ipsa solum *duplex* impedimentum ratione publicitatis agnoscere videtur, sc. impedimentum *publicum*, i. e. tale, quod in foro externo probari potest et *occultum*, quo probari nequit; sed in rerum natura tertius casus occurrit, sc. illud impedimentum, quod probari quidem potest, sed in casu non est indolis publici facti. Auctores quidam sentientes hanc difficultatem, censuerunt definitionem legalem can. 1037 valere solummodo pro *convalidatione* matrimonii (can. 1135); pro proclamationibus seu bannis necnon pro dispensatione ab impedimentis matrimonialibus in ordine *ad contrahendum* non convenire asseruerunt; unde recurrendum esse ad definitionem can. 2197 juris poenalis. Alii auctores, ut videtur, juste quidem, duplicem eamque diversam definitionem *pro uno eodemque titulo* C. J. C. reiiciunt. Definitio legais can. 1037, si bene inspicitur, quadruplicem classem impedimentorum ratione publicitatis respicere videtur: 1) impedimentum publicum publicitate *juris* seu illud impedimentum, quod probari potest, abstrahendo ab ipso *facto* publicitatis; hoc impedimentum *censetur* publicum; ideo praesumptio juris est in favorem etiam publicitatis *facti;* 2) impedimentum publicum publicitate *facti;* tale impedimentum *est* publicum; 3) occultum de jure et de facto. i. e. quod neque publicitate juris neque publicitate facti est publicum; 4) tandem occultum de facto, non de jure (*casus* occultus can. 1045).

Canon 27, correspondens can. 1037, respexit declarationem authenticam 25 jun. 1932 (*A. A. S.* vol. XXIV p. 284). Quaesitum fuit: « an ad habendum impedimentum publicum, de quo in hoc canone 1037, sufficiat ut publicum sit factum, ex quo oritur impedimentum ». Responsio fuit affirmativa.

Unde can. 27 hanc subministravit definitionem: « publicum censetur impedimentum, quod publico ex facto oritur (= publicitas *facti*) vel quod alio modo in foro externo probari potest (= publicitas *juris*); secus est occultum ». Illud occultum est iterum duplicis speciei, ut probat can. 35 (= can. 1045). Can. 35 par. 3 (= 1045 par. 3) invocat declarationem authenticam 28 dec. 1927 huius tenoris: *casus* in se continet *duplex* impedimentum: natura sua et de facto occultum impedimentum, et natura sua publicum, de facto occultum (*A. A. S.* vol. XX p. 61). Consequenter can. 35 par. 3 cir-

cumscribit « casum occultum can. 1045 par. 3 » hisce verbis: « si casus natura sua vel tantum facto sit occultus ». Ex can. 27 et can. 35 par. 3 resultant quattuor impedimenta ratione publicitatis. Abstinemus sponte a citanda copiosa circa impedimentum publicum et occultum et casum occultum litteratura.

Aliam controversiam creaverat can. 1042. Post enumerata quaedam impedimenta *dirimentia* minoris gradus in par. 2, continuat in par. 3: « impedimenta maioris gradus alia sunt *omnia* ». Disputabant auctores, utrum distinctio « maioris et minoris gradus » respiciat solummodo impedimenta dirimentia. Si enim impedimenta impedientia cadunt sub hanc distinctionem, omnia impedimenta impedientia essent maioris gradus; nam Codex pronuntiat illud: « impedimenta maioris gradus sunt *omnia* ». Alii auctores fuerunt contrariae sententiae et quidem optimo jure; fundarunt suam opinionem in Decreto S. C. Cons. 25 apr. 1918 sub N° 4 b (*A. A. S.* vol. X p. 191) et in « Indicem Facultatum quas... post Codicis Juris Canonici publicationem tribuere SS.mus Dominus Noster decrevit, ceteris abrogatis »; nam Index n. 29 et n. 30 clare distinxit inter impedimenta impedientia et dirimentia sive minoris sive maioris gradus (cf. *Periodica de re canonica et morali*, vol. XII p. 125-127). Codex sine dubio distinxit inter impedimenta maioris et minoris gradus, ut quam maxime provideat *validitati* matrimonii, non obstante subreptione vel obreptione in libello supplici (can. 1054); iamvero in impedimentis impedientibus validitas nuptiarum non est in quaestione. Can. 31 correxit hanc difficultatem, ponendo in par. 2: « cetera impedimenta *dirimentia* sunt maioris gradus ».

Relate ad Ecclesiam Latinam can. 32 concedit tum locorum Hierarchis tum Patriarchis facultatem iure ordinario dispensandi tum a quibusdam impedimentis impedientibus tum dirimentibus, salva ampliore facultate quae ex privilegio vel jure particulari iis competit. Duae tamen limitationes fiunt: Syncellus excluditur a facultate dispensandi, si non gaudeat speciali mandato. In Ecclesia Orientali *Synkelloi* sunt illi dignitarii, qui sine speciali iurisdictione in Residentia episcopali constituti fuerunt adiutores personales Episcopi in materia ecclesiastica. Cum generatim Patriarcha a coetu monachorum assumeretur, naturae rei et rationi consentaneum videbatur, ut comites et adiutores eius etiam monachi forent. Unde Syncellus plerumque ex ordine monachorum assumptus est; privilegia erant: concelebrare cum Patriarcha; ad thronum assidere; aliquando etiam munere oeconomi functi sunt; ut *dignitas* Hegumeno conferri potest. Altera limitatio haec est: « delegato ad universitatem causarum non competit facultas subdelegandi, nisi expresse ei ad singulos actus concedatur » (par. 6); can. 199 par. 3 C. J. C. dicit contrarium: « potestas delegata ad universitatem ne-

gotiorum ab eo, qui infra Romanum Pontificem habet ordinariam potestatem, potest in singulis casibus subdelegari ».

Can. 33 reproducit canonem 1043; can. sequens autem non solum parocho, sed etiam vicario cooperatori eandem facultatem dispensandi in periculo mortis concessit. Sumendo canone 34 par. 1 textum can. 1044, non solvit quaestionem acriter disputatam circa facultatem *confessarii*. Sunt enim de potestate confessarii in periculo mortis tres sententiae: prima sententia tenet: confessarius dispensat in impedimentis, quae hic et nunc sunt occulta, et quidem de iure et de facto occulta. Quam sententiam tenet Gasparri, *De Matrimonio*, ed. nova, n. 398; concedit tamen, quod Canonistae magnae notae putent confessarium posse dispensare super impedimentis natura sua publicis, sed de facto occultis seu in *casu* occulto can. 1045 par. 3. (secunda sententia); Tertia tandem sententia tenet: in articulo mortis confessarius dispensat etiam super publicis impedimentis, sed haec facultas potest solummodo exerceri in actu sacramentalis confessionis; effectus autem dispensationis restringitur ad forum internum. Auler, *Comes pastoralis*, ed. 8, p. 174 hanc sententiam tenet addens: matrimonium post talem dispensationem contractum est validum coram Deo et coram conscientia nupturientium, non debet agnosci in foro externo; cui casui providit can. 1047, resp. can. 37: « dispensatio est necessaria, si concessa fuerit tantum in foro interno sacramentali ». Sententiae Auler favent sequentia argumenta: 1) in extremis extrema tentanda sunt; 2) ipse textus can. 1044, resp. 34: « in *iisdem* rerum adiunctis... *eadem* dispensandi facultate pollet *tum* parochus *tum* vicarius cooperatur, *tum* sacerdos, qui matrimonio, ad normam can. 89 n. 2 (= 1098) assistit, *tum* confessarius. Verba: « in actu sacramentalis confessionis tantum » nullo modo dicunt ipsam materiam, in qua dispensatur, esse restringendam ad materiam confessionis seu fori interni seu ad impedimenta de jure et de facto occulta; in tali suppositione non potest esse amplius sermo de eadem dispensandi facultate; 3) iuxta can. 1045 resp. 35 par. 3 confessarius in casu urgenti dispensat in *casibus occultis* i. e. in impedimentis natura sua occultis, aut saltem occultis de facto; 4) vi can. 882 confessarii absolvunt in articulo mortis etiam a notoriis censuris; sed iuxta declarationem authenticam 28 dec. 1927 solum pro foro interno (*A. A. S.* vol. XX p. 61). Canones, qui respiciunt periculum mortis, volunt favere moribundis et eorum utilitatem quaerere, ita ut, si moriantur, coram Deo culpa et censura et impedimentis expertes sint. Ad hoc sufficit ut absolutio et dispensatio vim habeat in solo foro interno. Si moribundus convaluerit, quoad censuram et matrimonium, in quantum respiciunt forum externum, potest peti absolutio et dispensatio pro foro externo; 5) Poenitentiarii minores Anni Jubilaei vi Const. *Decessorum*

Nostrorum, 10 jul. 1949 possunt etiam absolvere a censura *ab homine* lata, pro foro conscientiae in actu sacramentalis confessionis; huius tamen censurae absolutio in foro externo non suffragabitur (*A. A. S.* vol. XLI p. 340).

Can. 1044 reliquit quasdam quaestiones haud solutas; idem dicendum de can. 34 referente quasi eundem textum ac can. 1044.

a) Quid juris, si sacerdos est *delegatus* ad assistentiam sive ab Ordinario sive a parocho? De hoc casu neque can. 1044 neque can. 34 loquitur.

b) Debetne assistens ad normam can. 1098 resp. can. 89 n. 2 assistere cum duobus testibus?

Ad a) Si conferuntur can. 1044 et can. 1098 n. 2, resp. can. 34 et 89 n. 2. Simulque verba premuntur, sacerdos, qui est *delegatus* ad assistendum ab Ordinario aut a parocho, non potest dispensare ab impedimentis, quia non est assistens iuxta can. 1098 n. 2, resp. can. 89 n. 2. Pro mea humili opinione potest dispensare ex duplici ratione; parochus vel Ordinarius delegando sacerdotem ad assistentiam, potest etiam illum delegare ad dispensandum; nam facultas can. 1044, resp. 34 est ordinaria. Secundo: si delegatio non continuit in se delegationem ad dispensandum, tunc applicandum erit axioma iuridicum: cui potestas delegata est, ea quoque intelliguntur concessa, sine quibus eadem exerceri nequeat (cf. can. 200). Can. 1044, resp. 34 sic explicandus videtur; qui canones *non taxative* nominant illos sacerdotes, qui in periculo mortis dispensare possunt, sed designant tres personarum classes, quibus dispensandi facultas competit. Ad primam classem pertinent illi, qui via ordinaria matrimonio assistunt (parochi, vicarius cooperator vi can. 34, omnesque *delegati*); ad secundam classem pertinet sacerdos assistens vi can. 1098 resp. 89; ad tertiam confessarius.

Ad b): debetne assistens in casu can. 1098 resp. 89 assistere cum duobus testibus? Si solum textum respicimus, responsio affirmativa danda erit. Alia sententia magis arridet, sc. ipsum posse assistere sine testibus. Ratio haec est: in can. 1043 resp. 33 datur potestas dispensandi ab impedimento clandestinitatis; quam dispensationem assistens dare nequit, si cum duobus testibus matrimonio assistere debet; porro iuxta Decretum S. C. S. O. de 13 dec. 1899 (*Fontes* C. J. C. vol. IV n. 1231) poterat parochus ab Ordinario subdelegatus dispensare a praesentia testium; insuper finis legis id expostulare videtur; alias casui mortis non est plene provisum; tandem evolutio historica can. 1044 resp. 34 talem interpretationem postulat.

Can. 34 par. 2 refert declarationem authenticam 12 nov. 1922 (*A. A. S.* vol. XIV p. 662 sq.): « loci Hierarcha censetur adiri non

posse, si tantum per telegraphum vel telephonum ad eum possit recurri ».

Canon 1045 in se continuit plures difficultates, in quas ad partem saltem correspondens can. 35 lucem portavit; can. 35 in par. 1 usum fecit declarationis authenticae de primo martio 1921 (*A. A. S.* vol. XIII p. 178) asserentis: clausula « quoties impedimentum detegatur cum iam omnia sunt parata ad nuptias » *non* est intelligenda sensu stricto, sc. quod impedimentum antea omnino ignotum fuerit et tunc resciatur, sed sumenda est eo sensu, quod quamvis antea cognitum, tunc solum tamen ad notitiam parochi aut ordinarii sit delatum. Eadem par. 1 respexit casum in Ecclesia Latina non verificatum, sc. si recursus ad Patriarcham pro impedimentis, a quibus dispensare potest, non est amplius possibilis; eadem norma in par. 2. Gravem difficultatem praebet par. 3 can. 35 qui se habet prout can. 1045 par. 3. Quae paragraphus revocat ad can. 1044 resp. 34. Canon 34 dat pro articulo mortis facultatem dispensandi sequentibus personis: parocho, vicario cooperatori, sacerdoti qui matrimonio ad normam can. 89 n. 2 assistit, confessario. Prout correspondens can. 1098, ita can. 89 duplicem casum respicit: articulum mortis et *extra* periculum mortis illum casum, quo praevidetur prudenter per mensem sine gravi incommodo (neque vicarium cooperatorem iuxta can. 34), neque delegatum haberi vel adiri posse. Difficultas habetur in can. 1045 resp. 35 circa sacerdotem, qui est *delegatus* ad assistentiam. Potestne hic dispensare prout parochus? Sunt auctores, qui can. 1045 par. 3 in sensu stricto interpretantur declarantes: *delegatus* ad assistentiam matrimonii, si non occurrit casus rarus can. 1098 n. 2, non potest uti hisce facultatibus; unde in casu urgenti non potest dispensare qua delegatus; solum qua confessarius, supposita iurisdictione. Unde iterum datus est casus perplexus iuris antiqui, solvendus iuxta normas juris antiqui. (cf. De Smet, l. c. n. 795; n. 837 ssq.). Cum aliis auctoribus tenendum est: in can. 1045 par. 3 et can. 35 par. 3 comprehendi etiam sacerdotem expresse delegatum ex rationibus in explicatione can. 1044 allegatis (cf. auctores et argumenta, apud De Smet, l. c. n. 795; uberiorem explicationem can. 1045 dat cl. Cappello, in *Periodica de re morali ,canonica, liturgica*, vol. XX p. 28-35 cum stella, qui bene dicit: « il legislatore ha voluto provvedere nel can. 1045 a tutti i casi di urgenza »; Oesterle, in *Pastor Bonus*, vol. V p. 357 ssq.; 407 ssq.; 442 ssq.; 509 ssq.).

Numerum impedimentorum, a quibus vi can. 35 dispensari potest, indicat can. 35 hisce verbis: « ab omnibus impedimentis, de quibus in can. 33 ». Prout allusio can. 1045 ad can. 1043 magnam controversiam suscitavit, de qua in extenso Oesterle, l. c. p. 407 ssq.; ita allusio can. 35 ad can 33 suam creabit difficultatem; in

can. 33 enim « tum de forma in matrimonii celebratione servanda tum ab omnibus et singulis impedimentis iuris ecclesiastici » est sermo; in can. 35 forma contrahendi non est amplius expressa. Sunt auctores, qui asserunt in can. 1045, consequenter in can. 35 non comprehendi facultatem dispensandi a sic dicto impedimento clandestinitatis. Ratio auctorum haec est: can. 1043 (can. 33) nitide distinguit inter formam in matrimonii celebratione servandam et inter omnia et singula impedimenta iuris ecclesiastici. Alii dicunt: Can. 1045 (can. 35) brevitatis causa non repetiit de verbo ad verbum ea, quae in can. 1043 distincte et separatim prolata sunt, sed modo generali remittit lectorem ad can. 1043, in quo expresse forma et impedimenta nominantur. Argumenta pro utraque sententia l. c. ab OESTERLE allegantur. Lucem pro disputata quaestione poterit afferre can. 35 par. 4, huius tenoris: « Facultate de qua in par. 1 non aufertur Hierarchis potestas dispensandi a forma in matrimonii celebratione servanda, et ab impedimentis iuris ecclesiastici in quibus Sedes Apostolica solet dispensare, quoties difficilis sit recursus ad Sedem Apostolicam itemque ad Legatum Romani Pontificis necessaria facultate praeditum, et simul in mora sit periculum gravis damni ». Quae paragraphus reddit declarationem authenticam de 27 jul. 1942 (*A. A. S.* vol. XXXIV p. 241). Quaesitum fuit: « an vi can. 81, conlati cum can. 1045, Ordinarius dispensare valeat ab impedimentis matrimonialibus intra fines eiusdem canonis 81, etsi nondum omnia parata sint ad nuptias ». Responsum fuit: « Affirmative ». Quamvis declaratio authentica simpliciter loquatur de impedimentis matrimonialibus, tamen legislator in can. 35 par. 4 declarationem authenticam extendit ad formam in matrimonii celebratione servandam. Si ergo vi can. 35 par. 4 Hierarcha potest dispensare ab impedimento clandestinitatis, nonne idem poterit vi par. 1, « cum iam omnia sunt parata ad nuptias »? Tandem notandum can. 35 par. 4 loqui etiam de recursu ad Legatum Romani Pontificis necessaria facultate praeditum. Unde applicat declarationem authenticam 26 jul. *A. A. S.* vol. XXXIX p. 374), in qua pronuntiatur axioma: recursus ad S. Sedem non potest dici difficilis, si recursus fieri potest ad Legatum Apostolicum. (cf. OESTERLE, in *Il Diritto Ecclesiastico*, a. 1948; p.311 sq.).

Can. 40, correspondes can. 1050 ponit pro Sede Apostolica vocem « Superior », quia Patriarcha quibusdam dispensandi facultatibus gaudent.

Can. 1052 habet verbum: « reticitum fuerit »; quae vox potuit dupliciter intelligi: reticitum ex *fraude* (cf. can. 42 C. J. C.); sed quaestio fuit: reticitum etiam *ex errore?* Videtur, quod etiam « reticitum ex errore »; nam si tantum reticentia ex fraude in can. cit. locum haberet, non autem reticentia ex errore, fraus esset pri-

vilegiata in oppositione ad simplicem errorem. Can. 42 juris Orientalis hanc difficultatem vitavit ponendo: « licet *silentio praeteritum* fuerit aliud impedimentum ». Declaratio authentica 8 jul. 1948 (*A. A. S.* vol. XL p. 386) in can. 42 non fuit recepta.

Can. 53 illustrat correspondentem can. 1053. Quaestio est: si Ordinarius loci dat licentiam transitus ad novas nuptias ob praesumptam conjugis mortem, continetne haec permissio dispensationem ab impedimento criminis? Certum est S. C. de Sacr. die 3 jun. 1912 Ordinario hanc facultatem non dedisse (*Fontes* C. J. C. vol. V n. 2106). Textus Codicis talem implicitam dispensationem insinuat; nam dispensatio concessa censetur *per datam a S. Sede dispensationem* a rato et non consummato vel factam permissionem transitus; illud « a S. Sede » referri potest grammaticaliter solum ad *datam* dispensationem; aliter quidam auctores senserunt; v. g. Chelodi-Dalpiaz, *Jus matrimoniale*, ed. 4, p. 55. Can. 43 splendide refert sensum can. 1053; statuit enim: « vel facta, etiam ab iis, qui potestatem habent *infra Sedem Apostolicam*, licentia transitus ad alias nutpias ob praesumptam coniugis mortem ». De competentia Ordinarii circa declarationem mortis confer Oesterle, *De morte praesumpta*, in *Pastor Bonus*, vol. V p. 84 sq.

Canon 48, correspondens can. 1058, nitide distinguit inter votum *publicum* castitatis perfectae in professione simplici emissum et inter votum *privatum* castitatis perfectae; votum suscipiendi subdiaconatum prohibet matrimonium in illis ritibus, in quibus clerici a recepto subdiaconatus ordine obligatione servandi sacrum caelibatum tenentur. Praeter legalem cognationem mediante arrogatione can. 49 commemorat etiam *tutelam* iuxta ius civile, de quo ad can. 71

Aetatem sponsorum, quod attinet (can. 57) Codex orientalis renuntiavit iuri Romano circa pubertatem virorum (14 annorum) et mulierum (12 annorum) et assumpsit ius Ecclesiae Latinae; jus particulare postulavit quandoque maiorem aetatem v. g. apud Melchitas (Conc. Ain-Trazen. 1835 can. 7 n. 4); Codex orientalis retinuit tamen in can. 60 impedimentum disparitatis non solum pro persona in Ecclesia catholica baptizata, vel ad eandem haeresi vel schismate conversa, sed simpliciter « cum persona baptizata ». Impedimentum disparitatis cultus fuit etiam agnitum in legislatione civili, v. g. in Graecia, Serbia cf. Cappello l. c. n. 906 cum nota 6). Canon 62 attribuit in par. 2 eandem vim dirimendi matrimonii subdiaconatui ac ordinibus maioribus (cf. circa matrimonium subdiaconorum Bened. xiv, *Opera inedita*, P. III ti. V *de matrimonio* cap. VI; Cappello l. c. n. 907 sq.). Consanguinitatis impedimentum est eiusdem ambitus ac in Ecclesia Latina, considerato diverso numerandi gradus modo. Unde septimus gradus, qui apud quosdam Orien-

tales observatus fuit, est abolitus (cf. Dauvillier - De Clerq, *Le mariage en Droit canonique Oriental*, p. 132 ssq; Cappello l. c. n. 917). Affinitatis impedimentum complectitur can. 67 et 68; in primo indicatur ambitus impedimentum iuxta triplex genus affinitatis, necnon ipsa affinitatis multiplicatio; can. 68 assignat fontem, ex quo oritur affinitas, et modum computationis. Notandum est, quod can. 68 par. 1 n. 1 derivat affinitatem simpliciter ex matrimonio *valido*, etsi non consummato, quin adhibeat terminologiam can. 97 par. 1 C. J. C.: « ex matrimonio valido sive rato *tantum sive rato et consummato* ». Unde evitat illam quaestionem, utrum affinitas ex solo matrimonio valido inter baptizatos aut ex omni matrimonio valido, etsi inter infideles seu non baptizatos (cf. Toso, *Commentaria minora*, can. 97; De Smet l. c.n. 613, ubi etiam sententia contraria allegatur).

Can. 68 respicit etiam ius *particulare* Orientalium et est duplicis generis; ex digeneia non solum habetur impedimentum affinitatis inter alterutrum coniugem et alterius consanguineos sed etiam inter consanguineos viri et consanguineos mulieris, seu applicatur axioma: affinitas parit affinitatem; unde pater aut frater coniugis Xaverii est affinis ex digeneia sorori coniugis Euphemiae; ex jure particulari affinitas viget etiam ex trigeneia seu ex duobus matrimoniis validis, si duae personae matrimonium contrahunt: a) cum una eademque persona, soluto matrimonio, unam post alteram aut b) cum duabus personis inter se consanguineis; insuper affinitatem ex trigeneia contrahunt alteruter coniux cum iis, qui sunt ex alio matrimonio, alterius coniugis affines ex digenia. Exemplo dicta illustro: impedimentum affinitatis ex jure *communi* sive Orientali sive Latino (can. 68 par. 1 n. 1) vix creat difficultatem; idem dicendum de affinitate ex digeneia inter consanguineos viri et consanguineos mulieris; quae affinitas est juris *particularis;* nam non ubique viget; Dauvillier - De Clerq, postquam l. c. a pag. 136-146 impedimentum affinitatis in Ecclesiis Orientalibus exposuit, notat p. 146: « A l'époque moderne, les empêchements d'affinité et d'honnêteté publique ont été repris, conformément au droit latin d'alors, par les conciles catholiques de Sarfé)1888) pour les syriens; du Liban (1736) pour les Maronites; du Caire (1898) pour les Coptes; de Rome (1911) pour les Arméniens; tandis que les Chaldéens catholiques suivent le droit latin antérieur au Codex et les Ethiopiens catholiques le Codex actuel ». Computatio haec est: « Ita computatur ut tot sint gradus quot fert summa graduum consanguinitatis quibus uterque affinium distat a coniugibus ex quorum matrimonio affinitas oritur ». Exemplo illustro: Diana habet duas filias, Euphrasiam et Felicitatem: Felicitas ducit in matrimonium Germanum; unde inter Dianam et Germanum est affinitas in linea recta *primi*

gradus; nam per unum actum generandi processit Felicitas a Diana; Euphrasia est affinis Germano in secundo gradu lineae collateralis; nam Diana per *duos* actus generandi peperit nominatas filias (affinitas can. 68 par. 1 n. 1). Germanus habet patrem Christophorum; qui Euphrasiae est affinis in tertio gradu; nam *uno* actu genuit Germanum; et Felicitas et Euphrasia sunt sibi consanguineae in secundo gradu; idem Germanus habet fratrem Eleutherium; Euphrasia est affinis Eleutherio in quarto gradu; nam duo actus generationis ex parte Dianae; duo ex parte Christophori; Germanus habet consobrinum (cugino di primo grado) nomine Hippolytum; ipse est affinis Dianae in quinto gradu et cum Euphrasia in sexto.

Exemplo illustro affinitatem ex trigeneia pro casu, quo duae personae matrimonium contrahant cum una eademque tertia persona, soluto matrimonio, una post aliam. Agathon duxit in matrimonium Alexandrinam, quae ex primo connubio cum Balsamon habuit filium, cui nomen Anastasius; qui ergo fuit privignus seu filiaster Agathonis, seu ipsi affinis in digeneia in primo gradu, utpote filius Alexandrinae. Anastasius nupsit Gasparinae. Agathon est affinis Gasparinae in primo gradu ex trigeneia, filia autem Gasparinae in secundo gradu ex trigeneia, utpote Agathonis proprivigna.

Aliud exemplum: Anastasius habet filium, cui nomen Cyrillus, et filiam, cui nomen Deodata; Basilius ex alia familia gaudet duabus filiabus; una vocatur Flavia; altera sese nominat Georginam; Deodata ducit in matrimonium Eugenium quedam, qui consequenter fit affinis in secundo gradu Cyrillo ex digeneia; post mortem Deodatae Eugenius nubit Flaviae; unde fit affinis Georginae in secundo gradu ex digeneia. Quare Cyrillus et Georgina sunt sibi affines in quarto gradu ex trigeneia. De computatione confer can. 68 par. 3 n. 3. n. 4. « 3. Haec affinitas, inter alterutrum coniugem et alterius affines, ita computatur ut qui sunt ex alio matrimonio affines viri ex digeneia, in eodem gradu sint uxoris affines ex trigeneia, et vice verso; 4. Quoties haec affinitas viget inter consanguineos quoque unius et affines alterius coniugis, ita computatur ut tot sint gradus quot fert summa graduum cum consanguinitatis tum affinitatis ex digeneia quibus uterque affinium distat a coniugibus ex quorum matrimonio affinitas oritur; « vide insuper Oesterle, *S. Anselmi archiepiscopi Cantuarensis responsio ad Episcopum Nuebergensem circa detestata a Graecis Latinorum connubia* in *Consultationes de jure matrimoniali* p. 283-299; Dr. W. Von Hoermann, *Quasiaffinität*,, pars I, p. 244 ssq.; Vering, *Lehrbuch des Kirchenrechts*, ed. 3, p. 898 ssq.; Milasch, *Das Kirchenrecht der Morgenländischen Kirche*, ed. 2. p. 610 par. 191.

Can. 69 respicit publicam honestatem et refert textum Codicis; unde etiam in Ecclesia Orientali cessat impedimentum publicae ho-

nestatis ex sponsalibus. Valet pro can. 69 decl. auth. 12 mart. 1929: ex solo actu civili inter eos, qui ad formam canonicam tenentur, independenter a cohabitatione, non oritur impedimentum publicae honestatis (*A. A. S.* vol. XXI, p. 170).

Etiam can. 70 de spirituali cognatione mutavit ius antiquum; non amplius commemoratur cognatio spiritualis ex sacramento confirmationis; insuper non nominatur ipse baptizans; in oppositione ad ius Latinum (can. 768) etiam parentes baptizati cum patrino contrahunt impedimentum dirimens cognationis spiritualis.

Etiam abrogata cognatio spiritualis secundi et tertii gradus. Valet etiam decl. auth. 2-3 jun. 1918 (*A. A. S.* vol. X p. 346): cognatio spiritualis ante novam legem contracta remanet quoad omnes effectus, sed desinit esse impedimentum matrimonii ultra normam can. 70. De diverso ambitu cognationis spiritualis usque ad novum ius apud Orientales vide Cappello l. c. n. 920. Canon 71 de cognatione legali tangit cognationem legalem ad normam juris civilis et praeter adoptionem respicit etiam tutelam; de tutela haec dicenda sunt: Senatus consultum statuit: « ne tutor pupillam vel filio suo vel sibi nuptum collocet » (l. 59 D. 23. 2; cf. l. 60); eadem lex viguit pro curatore relate ad minorem puellam infra 25 annos. De hoc impedimento cf. Dauvillier-De Clerq l. c. p. 157; iuxta Leske-Loewenfeld, *Das Eherecht der Europäischen Staaten* (a. 1904); impedimentum tutelae in Hungaria habitum est ut impediens (l. c. p. 93); pro Graecia impedimentum dirimens (l. c. p. 852); pro Rumenia tum tutela tum curatoria opera efformabant impedimentum dirimens (l. c. p. 868). P. E. Herman S. J. publicavit in *Orientalia Christiana Periodica*, vol. III n. 1-2, tractatum *de impedimentis matrimonialibus secundum Codificationes juris ecclesiastici recentes Orthodoxorum;* et in eodem Periodico, vol. VI, n. 1-2, *Matrimonio Romano e Matrimonio Cristiano, de impedimentis matrimonialibus in Regno Graeciae nuper abrogatis.* cfr. S. C. Orientale, *Fonti* s. v. *impedimenta.*

Canon 72 correspondet can. 1081 C. J. C., idem dic de can. 73 et can. 1082; can. 74 loquitur de errore *in* persona et de errore in qualitate personae; canones 75-77 correspondent juri Latinorum. Canon autem 78, *de vi et metu*, sumit loco « ab extrinseco » adverbium « extrinsecus ». Juste quidem; nam « extrinsecus » est adverbium. Tertullianus, *de pallio*, sumit « extrinsecus » uti adiectivum; sed Forcellini, *Lexicon*, notat: « sed non est imitandus ». Sed multo majoris momenti est sequens mutatio: « incussum *ad extorquendum consensum* ». Gasparri, *De Matrimonio*, ed. nova n. 856, claris verbis demonstrat curnam clausula: « ad extorquendum consensum » renuntiata fuerit et illa electa: « a quo quis se liberet, eligere cogatur matrimonium ». Consequenter ad textum

can. 1087 Gasparri admittit etiam metum *indirectum* tamquam irritantem nuptias. Nonne etiam *S. R. R.*, nonne ipse cl. Wynen in C. *Lincien.* d. 5 dec. 1933 invocat in n. 2 et 3 auctoritatem Gasparri? (*Decisiones S. R. R.* vol. 25 p. 608 sq.). Quae sententia probata est coram Guglielmi 13 mart. 1935 (l. c. vol. XXVII p. 120-127). Etiam Sententia *Neapolitana* coram Janasik d. 9 jul. 1936 invocat Gasparri *optime* disputantem (l. c. vol. 28 p. 458 ad 2; legas Gasparri n. 856, non 846). Censuitne Redactor Codicis Juris Orientalis adhaerendum Sententiae in *Transilvanien.* 27 mart. 1931. coram Grazioli? Sententia expressis verbis commemorat utramque opinionem; nominat illam opinionem, quae requirit metum *consultum* praevalentem et communiorem, et concludit: « huic autem opinioni hactenus saltem nostrum adhaesit Tribunal » (*Decisiones* S. R. R. vol. XXIII p. 103).

Canon 79 correspondet can. 1088 C. J. C. Canon 80 autem, cui nullus in nostro Codice correspondet, prohibet nuptias per procuratorem contrahendas, nisi Hierarcha loci in casu singulari hanc facultatem scripto dederit; Hierarcha hanc facultatem dare potest tantum in casu necessitatis, id est, si contrahentes, ob gravem causam, sacerdoti se una simul sistere nequeunt. Quot infelicia et invalida matrimonia evitata fuissent, si Ecclesia simili praecepto gavisum fuisset! Canon 81 correspondens can. 1089, refert in par. 4 gravem eamque sat utilem declarationem authenticam can. 1089 par. 1 d. 31 maii 1948 (*A. A. S.* vol. XL p. 302): « procurator ab ipso mandante designetur oportet ». Codex Orientalis non loquitur, prout can. 1090, de matrimonio contrahendo per interpretem, sed in can. 82 dat ulteriores normas pro nuptiis per procuratorem celebrandis; primo servari debet forma celebrationis matrimonii canonica; insuper novelli spónsi monentur, ut post initam vitam communem recipiant benedictionem nuptialem.

Innumeras difficultates aufert in re matrimoniali can. 83: « matrimonium sub condicione contrahi nequit ».

Tabula rerum, de quibus in S. R. R. disceptatur, singulis annis manifestat, quot causae « ob condicionem » tractantur; eventus pro partibus haud semper faustus; anno 1940 ex sex processibus unus successum habuit; anno 1941 ex septem actionibus nullitatis ne una quidem responsum affirmativum obtinuit. Ad quid perditio haec! Patet Ecclesiam posse interdicere appositionem condicionis, sed non posse impedire ne apponantur sive interne sive etiam externe. Sed in foro externo talis appositio in jure Orientalium non existit; de internis non judicat praetor. Orientales sub condicione contrahentes componant suam conscientiam cum confessore.

Can. 84 eundem tenorem exhibet ac can. 1093. Can. 85, cui correspondet can. 1094, addita exhibet verba: « ritu sacro ». Can.

1095 in can. 86 plures subiit mutationes; par. 1 n. 2 ponit quoad non subditos clausulam: « modo sint sui ritus »; par. 2 dat normam matrimonio diversi ritus; cui matrimonio valide assistit solummodo Hierarcha loci et parochus, qui ad normam par. 3 nn. 2-4, est eorum proprius Hierarcha vl parochus; n. 2 statuit: deficiente parocho pro fidelibus alicuius ritus, horum Hierarcha designet alius ritus parochum, qui eorundem curam suscipiat, postquam idem Hierarcha habuit consensum Hierarchae parochi designandi; n. 3: extra territorium proprii ritus, deficiente huius ritus Hierarcha, habendus est tamquam proprius Hierarcha loci. Quodsi plures sint, ille habendus est proprius, quem designaverit Sedes Apostolica, vel, obtento eiusdem consensu, Patriarcha, si jure particulari cura fidelium sui ritus extra Patriarchatum commorantium ei commissa est; par. 3 n. 1 statuit axioma: « nisi aliud statuatur, sive per domicilium sive per quasi-domicilium suum quisque parochum et Hierarcham proprii ritus sortitur; eadem par. 3 n. 4 normas dat matrimonio vagorum declarando: « proprius vagi parochus vel Hierarcha est sui ritus parochus vel Hierarcha loci, ubi vagus actu commoratur; deficiente parocho vel Hierarcha sui ritus, serventur normae in nn. 2, 3 statutae ». Tandem n. 5 respicit domicilium eparchiale declaratque: « illorum quoque, qui non habent nisi eparchiale domicilium vel quasi-domicilium, parochus proprius est parochus loci, in quo actu commorantur ». Can. 86 par. 1 n. 3 postulat, ut neque vi neque metu gravi constricti requirant excipiantque contrahentium consensum. Canon non tangit duas quaestiones: estne ipsa delegatio vi et metu expressa valida? Juxta can. 103 videtur, quod sic; sed ipse delegatus assistens debet esse liber a vi et metu. Alia quaestio: debetne etiam delegatus liber a censura, de qua par. 1 n. 1 prout parochus. Mihi negandum videtur; nam ratio non est eadem pro parocho ac pro delegato ad casum. Etiam quoad delegationem ad assistentiam can. 87 — in Codice can. 1096 — quasdam mutationes exhibet; dicitur enim: « dummodo id expresse faciant et sacerdos sit determinatus »; insuper allegatur jus subdelegandi sacerdotem determinatum (cf. decl. auth. 28 dec. 1927 ad II *A. A. S.* vol. XX p. 62); prout can. 1096 etiam can. 87 concedit tum parocho tum Hierarchae jus concedendi vicariis cooperatoribus facultatem generalem assistendi matrimonio cum jure subdelegationis. Facultas contra normas hucusque traditas est *irrita;* par. 2 correspondet par. 2 can. 1096. Diversitas rituum haud levem creare potest difficultatem quoad delegationem; unde par. 3 hanc statuit normam: « Locorum Hierarchae administrationem fidelium diversi ritus ad normam juris gerentes dare possunt cuiusvis orientalis ritus rectoribus ecclesiarum vel aliis sacerdotibus curam fidelium, parocho proprii ritus orborum, habentibus, generalem facultatem assistendi matrimoniis

fidelium ritus orientalis, etsi a ritu rectoris vel presbyteri diversi ». Can. 88, cui correspondet can. 1097, exhibet quasdam ulteriores normas; par. 2 ita profertur: « parochus, si ita ferat jus particulare, ut matrimonio licite assistat, indiget insuper licentia Hierarchae loci ».

A regula celebrandi nuptias coram parocho *sponsi* — can. 1097 par. 2: coram parocho *sponsae* — excusat non solum justa causa, prout in par. 2 can. 1097, sed etiam consuetudo legitima; quoad matrimonia mixti ritus haec norma statuitur: « matrimonia autem catholicorum mixti ritus, in ritu viri et coram eiusdem parocho sunt celebranda, nisi vir, domicilium vel quasi-domicilium habens in regione orientali consentiat, ut matrimonium ritu sponsae et coram huius parocho celebretur »; par. 4 can. 88 eandem vim habet ac par 3 can. 1097; sed non dicit simpliciter: « remittat », sed « remittendi obligatione tenetur ».

Matrimonium in mortis periculo aut in praevisa parochi absentia regitur can. 89, qui quasi eundem tenorem habet ac can. 1098; tantummodo in n. I allegat « eum rerum statum » et n. 2 addit: « quivis » ad vocem « alius sacerdos ». Tenendo jus Orientalium eundem textum ac jus Latinum, pro interpretatione textus invocandae erunt declarationes authenticae d. 10 nov. 1925 (*A. A. S.* vol. XVII p. 583); 10 mart. 1928 (l. c. vol. XX p. 120); 25 jul. 1931 (l. c. vol. XXIII p. 388); 3 maii 1945 (l. c. vol. XXXVII p. 149) S. C. DE SACR. 24 apr. 1935 (cf. SARTORI, *Enchiridion canonicum* ad can. 1098 n. 5 ed. VIII). Historice can. 1098 dilucidatus est ab OESTERLE in *Jus Pontificium* vol. VIII p. 174-182, vol. IX p. 141-158. Qui tractatus per declarationem authenticam d. 25 jul. 1931 quandam modificationem subiit (cf. SARTORI l. c. ad n. 2). Quaestio, utrum forma can. 1098 valeat etiam in casu matrimonii civilis aut acatholici, in sensu negativo soluta fuit a MOĆNIK, *Apollinaris* vol. 9 p. 304-307; 444-446; in sensu affirmativo a DALPIAZ (l. c. vol. 10 p. 275-278). Alia quaestio haec fuit: continetne illud « dummodo prudenter praevideatur » intentionem contrahendi *vi can. 1098* matrimonium *canonicum* aut sufficitne merum factum contracti matrimonii coram duobus testibus sine ulla advertentia ad nuptias canonicas? Primam sententiam propugnavit OESTERLE (l. c. vol. 9 p. 446-462); cui contradixit DALPIAZ (l. c. vol. 10 p. 272-275).

De illis personis, quae ad statutam formam tenentur, disserit can. 90, qui correspondet can. 1099, post abrogatum alterum comma par. 2 can. 1099 (Motu proprio I aug. 1948; *A. A. S.* vol. XL p. 306).

Can. 91 correspondet can. 1100, can. 1101 sub verbis Codicis non est receptus in jus Orientalium; nam ritus sacer jam in can. 85

commemoratus et in 82 benedictio nuptialis; item can. 1102 non habet correspondentem in Codice Orientalium.

Canon 92 habet eundem quasi textum, sed recenset etiam dispensationem et auctorem dispensationis ab impedimento cuiusque gradus.

Canones 93-96 de matrimonio conscientiae reddunt canones 1104-1107. Normae de tempore celebrationis matrimonii (can. 97) allegant tempus sacrum Orientalium et statuta particularia. Quae leges quandoque ipsam celebrationem nuptiarum vetant, quin tamen Hierarchae facultas sumpta sit permittendi aut ipsam celebrationem aut solemnem benedictionem (can. 1108).

Can. 98 de loco celebrationis refert can. 1109. Canones 92-102 haud differunt a can. 1110-1113; can. 103 autem hanc tantum normam continet: « legitimi sunt filii concepti aut nati ex matrimonio valido vel putativo » (can. 1111); can. 1115 par. 2 in can. 104 hanc recipit normam: « post *centum octoginta* dies a die celebrati matrimonii vel intra tercentos dies a die dissolutae vita coniugalis ». Jus Romanum computavit a mense septimo (incepto) usque ad decimum completum. Jus antiquum ecclesiasticum computavit juxta dies, sc. 180-300.

Can. 105 et 106 concordant cum can. 1116 et 1117.

Caput decimum de separatione coniugum (can. 107-121) refert can. 1118-1132; can. 120 (= 1131) additam habet par. 2 huius tenoris: « etiam coniux ab altero malitiose desertus obtinere potest decretum separationis ab Hierarcha loci ad certum incertumve tempus ». Usus privilegii Petrini non commemoratur (cf. Sartori l. c. ad can. 1119). Caput undecimum de matrimonii convalidatione (can. 122-130) repetit can. 1133-1141); can. 130 (= 1141) insuper habet: « par. 2 Patriarcha potitur facultate concedendi sanationem in radice, si validitati obstat tantum defectus formae celebrationis vel impedimentum, a quo ipse dispensare potest ». Caput XII de secundis nuptiis refert can. 1142; can. 1143 haud in Codice Orientalium invenitur.

D. G. Oesterle O.S.B.

DE USU FACULTATIS DISPENSANDI QUANDO PLURA IMPEDIMENTA CONCURRUNT AD NORMAM can. 1050.

Canisius parochus supplicem libellum misit ad Ordinarium, quo Marius et Helena petunt dispensationem ab impedimento affinitatis in gradu secundo mixto cum primo. Ordinarius, qui non habet facultates ad dispensandum in hoc impedimento, petitionem transmittit ad S. Sedem. Post mensem circiter obtinet dispensationem.

Investigationibus factis de veritate precum, exsecutioni mandat rescriptum. Parochus documentum exsecutionis perlegit partibus. Sed postridie Helena adit parochum eumque certiorem reddit se a matre audiisse inter ipsam et Marium existere impedimentum consanguinitatis in linea collateri in gradu tertio aequali. Parochus iterum ad Ordinarium recurrit, qui legit verba can. 1050: « si tamen impedimentum seu impedimenta super quibus dispensare potest, comperiantur post impetratam a Sancta Sede dispensationem, suis facultatibus uti poterit (Ordinarius) ». Reapse gaudens facultate generali dispensandi in impedimento consanguinitatis in tertio gradu, descriptum mittit ad parochum in forma gratiosa, in quo Mario et Helenae dispensationem concedit ab impedimento detecto.

Post peractas publicationes parochus assitit matrimonio Marii et Helenae. Quaeritur quid sentiendum sit de validitate matrimonii?

De sensu canonis 1050.

Casum propositum esse casum quem contemplatur can. 1050, in dubium vocari non potest. Habetur casus, in quo duo impedimenta concurrunt, quorum unum dispensari non potest ab Ordinario loci; aliud ab eo vi facultatum dispensari potest. Insuper hoc impedimentum detectum est seu compertum postquam dispensatio in primo impedimento iam fuit obtenta a S. Sede. Ordinarius enim loci non novit impedimentum, quando recepit rescriptum S. Sedis. Hoc iam sufficere videtur ut haec conditio sit impleta.

Quamvis quoad hunc canonem 1050 non habeatur authentica interpretatio, expresse data, verbis, de quibus est sermo, merito applicatur interpretatio verborum similium, quae leguntur in canone 1045 § 1, scilicet: « quoties impedimentum detegatur cum iam omnia parata sunt ad nuptias »; interpretatio scilicet data die 1 Martii 1921. In nostro casu nequidem partes ipsae noverunt impedimentum, sed etiamsi novissent et quidem ab initio, tamen impedimentum esset post dispensationem obtentam a S. Sede compertum, scilicet compertum *ab Ordinario loci*, facultatem habente.

Sed alia quaestio surgit, scilicet: estne valida dispensatio a S. Sede impetrata? In compertum est dispensationem a S. Sede datam esse invalidam, si obstet obreptio vel subreptio de qua est sermo in can. 42. Exceptio habetur quidem, quando agitur de dispensatione in impedimentis minoris gradus. Impedimentum autem, de quo in casu nostro, scilicet affinitas in gradu secundo *mixto cum primo*, non est impedimentum gradus minoris sed maioris, ut probavimus in libro nostro *Praelectiones Matrimoniales* (α) In petitione ad obtinendam dispensationem in impedimentis matrimonialibus ex stylo Curiae indicanda sunt omnia impedimenta quae reapse existunt; secus vitio subreptionis invalida est dispensatio concessa. Et non agitur de solis impedimentis notis, sed etiam de ignotis, ita ut ignorantia quantumvis invincibilis excusare quidem possit petentem a *peccato* (subreptionis), sed nequeat impedire ne invalida sit dispensatio. (β)

Doctrinam, qua tenetur reticentiam alius impedimenti cuiuscumque coexistentis cum illo, de quo conceditur dispensatio a S. Sede, esse reticentiam veri quod de stylo Curiae est exprimendum, simpliciter et absque ulla mentione alicuius sententiae contrariae saltem ab aliquibus propugnatae, invenimus apud De Smet [1], Aerntnys-Damen [2], Prümmer [3], Wouters [4] Merkelbach [5], Conte a Coronata [6], Linneborn [7] et aliis. Nulla nobis videtur ratio dubitandi.

Cappello [8] quidem scribit: « utrum omnia impedimenta sint hodie ad valorem dispensationis exprimenda in eadem supplicatione et simul relaxanda, plures dubitant; tum quia longe mitior facta est disciplina canonica quoad impedimenta et dispensationes, tum quia sententiae neganti favere videtur praescriptum can. 1052 ».

Contra hoc tamen observari merito potest:

1. Cappello non dicit quinam et quot sint isti plures auctores qui dubitant; quare haec assertio parvum habet valorem.

(α) Vlaming-Bender, *Praelectiones Matrimoniales*. (Bussum in Hollandia 1950.) pag. 119.

(β) Ad effectum nullitatis quod attinet subreptio et obreptio considerantur obiective, prout ex ipso elucet rescripto; ita ut nihil intersit utrum.... ex ignorantia provenerint. Ita Michiels *Normae Generales*. De rescriptis. Cap. III Art. 2. n. 3. Est doctrina communiter recepta.

[1] *De Sponsalibus et Matrimonio*⁴. n. 847.
[2] *Theologia Moralis* II. *n.* 791.
[3] *Theologia Moralis* III, n. 867.
[4] *Theologia Moralis* II. n. 817.
[5] *Manuale Theologiae Moralis*, III. u. 900.
[6] *De Matrimonio*. n. 191.
[7] *Grundrisz des Eherechts*, 1. 171.
[8] *De Matrimonio*, n. 275, 3.

2. Auctor ne dicit quidem utrum ipse dubio istorum auctorum adhaereat tamquam fundato. Non inutile esset hoc lectoribus manifestare. Secus huiusmodi assertiones nihil efficiunt nisi seminare dubia apud alios.

3. Argumentorum a CAPPELLO allatorum primum habet vim valde exiguam; secundum omni vi probandi est destitutum; imo potius contrarium probat. Etenim:

a) quia longe mitior facta est disciplina, non rationabiliter dubitare licet *de omnibus* quae ad hanc disciplinam pertinent; praecipue hoc non licet si agatur de aliqua disciplinae parte, quae natura sua valde commendatur, scilicet ut impedimenta in uno casu concurrentia uno eodem actu dispensentur. Nemo non videt maximam huius praxeos convenientiam. Omnino aliud enim est dispensare ab impedimento unico, omnino aliud dispensare a duobus impedimentis simul existentibus; nam gravior ad hoc requiritur causa. Quare ut certa tenenda est disciplina traditionalis; relaxatio autem admittenda pro casibus, in quibus ipse legislator sive in Codice sive alibi hanc relaxationem induxit.

b) can. 1052, proprie quia concessionem *specialem* facit pro duobus impedimentis et hanc concessionem restringit inter limites eiusdem impedimenti, probatur, nam supponitur, disciplinam generalem seu pro aliis casibus vigentem non esse relaxatam. (Vide CONTE A CORONATA, *De Matrim.* n. 191, nota 1).

4. Ipse CAPPELLO loco citato (sub *e*) docet hodie in dispensationis rescriptis non raro reperiri clausulam; « ac aliis bona fide forsitan reticitis... non obstantibus ». Ex hoc deduci nobis videtur quod per se, seu in rescriptis in quibus non additur haec clausula, alia impedimenta reticita, imo etiam alia impedimenta bona fide reticita, constituere vitium subreptionis, quo dispensatio est invalida.

Alius error, vel saltem doctrinae propositio minus exacta, invenitur apud quosdam, ut DE SMET (n. 847) et CONTE A CORONATA (n. 191), qui fere ad verba imitatur DE SMET. Isti canonistae prius distinguunt obligationem indicandi in dispensationis petitione omnia impedimenta eiusdem speciei, e. g. duplex impedimentum consanguinitatis et obligationem indicandi aliud (vel alia) impedimentum quod reapse concurrit in eodem casu. Quoad hanc ultimam obligationem loquuntur modo simplici absque ulla distinctione ulteriore. Hoc ducit ad doctrinam non exactam. Alia facienda est distinctio quoad hanc secundam obligationem. Alia enim est obligatio indicandi aliud impedimentum coëxistens in casu cum impedimento a quo petitur dispensatio; alia est obligatio indicandi impedimentum quod quidem momento petitionis non coëxistit, sed quia iam *dispensatione* est sublatum. Omissio in utroque casu constituit subreptio-

nem, sed aliter et aliter. In primo casu subreptio existit in reticentia impedimenti concurrentis; in secundo in reticentia dispensationis iam datae ab alio impedimento. Sunt res diversae [9].

In utroque autem casu petitio facta, quin mentio fiat de impedimento sive adhuc coëxistente sive dispensatione iam sublato, laborat vitio subreptionis, independenter a bona vel mala fide. Rescriptum datum et dispensatio data concors huic petitioni, sunt invalida, nisi agatur de iis casibus specialibus, in quibus vitium subreptionis non causat invaliditatem et qui taxative in Codice statuuntur (c. 45, 1052, 1054) aut clausula rescripto adiuncta aliud statuat.

His debita exactitudine statutis, agendum est de sensu can. 1050. Hic canon non relaxat obligationem primam seu obligationem exprimendi omnia impedimenta concurrentia seu coëxistentia tempore, quo rescriptum conceditur aut exsecutioni mandatur (prout datum est in forma gratiosa aut exsecutoria; c. 41). Can. 1050 autem relaxat obligationem secundam, scilicet obligationem, qua omnia impedimenta in eoden casu concurrentia cognoscantur ab eodem superiore et ab eo dispensentur eodem rescripto, in casu a S. Sede. Relaxatio respicit casum, de quo sermo est in fine huius canonis, scilicet: si aliud impedimentum comperiatur post obtentam a S. Sede dispensationem. In tali casu Ordinarius loci uti potest facultatibus suis. Potest ipse dispensare ab hoc impedimento detecto et dispensatio a S. Sede concessa non laborat vitio subreptionis ex capite reticentiae dispensationis ab alio datae seu ex hoc quod dispensatio ab utroque impedimento non est data ab uno superiore. Sed, attendat bene benevolus lector, ex hoc non sequitur dispensationem apostolicam esse validam seu *nullo* subreptionis vitio laborare. Potest fieri ut sit invalida *alio ex capite;* alia scilicet subreptione. Utrum reapse invalida sit in casu nostro eruere debemus ex normis generalibus de rescriptis et ex verbis can. 1050 recte intellectis.

Verba can. 1050 habent sensum obvium et simplicem, si attendamus ad distinctionem modo explicatam. Canon in sua secunda parte concedit Ordinariis ut faciant in casu descripto (scilicet, si impedimentum concurrens comperiatur post obtentam dispensationem a S. Sede) id quod in prima parte generaliter prohibetur, (scilicet « uti facultate habita circa hoc impedimentum compertum »). Haec concessio est necessaria proprie propter prohibitionem illam generalem. Uti facultate ex parte Ordinarii nihil aliud est quam dispensare ab hoc impedimento detecto.

---

[9] Hic ultimus casus haberi potest quando Ordinarius contra praescriptum can. 1050 usus est facultate sua, sciens aliud impedimentum; qui usus facultatis est illicitus sed validus.

Ad hoc enim facultates Ordinarii se extendunt. Erroneum esset verba intelligere de aliqua potestate circa impedimentum a S. Sede dispensatum, aut usui facultatis tribuere aliquem effectum circa hanc dispensationem apostolicam. Nequidem in canone ullo verbo declaratur hanc dispensationem non esse invalidam vitio subreptionis ex reticentia impedimenti concurrentis et reapse existentis momento dispensationis concessae.

De validitate huius dispensationis a S. Sede concessae iudicandum est iuxta applicationem normarum generalium. Tunc apparet in casu nostro dispensationem esse invalide concessam. Nam tempore exsecutionis obstabat vitium subreptionis seu reticentia veri de stylo Curiae exprimendi (quamvis bona fide commissa), scilicet reticentia alius impedimenti in eodem casu concurrente (consanguinitas in tertio gradu) [10].

Nota: Ubi agitur de rescripto in forma commissoria iudicium de validitate rescripti saepe dari non potest ante momentum exsecutionis. Tempore inter concessionem et exsecutionem tale rescriptum est neque validum neque invalidum, sed validitas eius suspensa manet quoties validitas dependet ab elementis quae mutari interim possunt. Iudicium de validitate proprie non potest respicere nisi actum *exsecutionis* et dispensationem (gratiam) datam exsecutione. Si tempore exsecutionis non habeatur vitium subreptionis aut obreptionis, exsecutio est valida et dispensatio valide concessa [11].

Haec doctrina statim a nobis applicabitur.

Obiectio.

Contra interpretationem, qua admittitur dispensationem in casu nostro a S. Sede concessam esse invalidam, haec oritur obiectio. Huiusmodi interpretatio prorsus inutilem reddit concessionem factam

---

[10] Patet nos hic supponere quod in rescripto non habeatur clausula de qua iam supra erat sermo, scilicet « ac aliis bona fide reticitis non obstantibus » aut quod rescriptum non sit datum *motu proprio* (c. 45).

[11] Interpretationem nostram can. 1050 esse rectam et dispensationem obtentam a S. Sede esse in casu proposito invalidam etiam sic apparet. Fieri potest ut impedimentum existens, sed ignotum, sit mere impediens. Dispensatio ab impedimento noto ab Ordinario exsecutioni mandatur. Celebratur matrimonium. Matrimonium est invalidum ; non ratione impedienti impedientis, ut patet, sed ratione dispensationis impedimenti dirimentis *invalide* concessae. Et hoc quia dispensatio laborat vitio subreptionis. Semper possibile est ut casus hic fiat casus contemplatus in can. 1050. Hoc reapse fit, si impedimentum impediens postea detegatur. Sed in tali casu dispensationis exsecutio et matrimonium remanent invalida. Exsecutio repeti debet post sublatum impedimentum impediens usu facultatis Ordinarii. Detectio enim impedimenti est res casualis. Validitas autem actus praeteriti non dependet ab eventu detectione alicuius impedimenti casuali futuro.

a can. 1050. Nam tunc in quolibet casu iterum recurrendum esset ad S. Sedem.

Responsio quae notat concessionem saltem habere utilitatem si agatur de impedimento minoris gradus, cuius dispensatio non vitiatur subreptione, theoretice vera est. In tali casu Ordinarius posset, utendo facultatibus ad normam can. 1050, validum et licitum reddere matrimonium. Sed practice haec responsio placere non potest canonistae. Nam vix fieri potest ut aliquis Ordinarius careat facultate dispensandi ab aliquo impedimento minoris gradus ita ut recurrere debeat ad S. Sedem et tamen polleat facultate in aliquo alio impedimento postea detecto. Hac igitur interpretatione concessio can. 1050 amitteret si non omnem, saltem fere omnem valorem practicum. Ipsa ergo admitti non debet.

Responsio propria ad obiectionem est quod interpretatione data concessio can. 1050 nullatenus redditur inutilis. Matrimonium inter Marium et Helenam in casu est invalidum. Non autem quia Ordinarius non potuit usu concessionis factae in can. 1050 matrimonium reddere licitum et validum, sed quia non recte usus est hac concessione.

Quamvis generaliter loquatur, can. 1050 agit de modo dispensandi in impedimentis matrimonialibus, quem S. Sedes adhibere solet, scilicet in forma *commissoria*. In tali forma dispensandi rescriptum dat Ordinario in casu particulari potestatem dispensandi ab impedimento.

Ordinario committitur ut dispensationem concedat oratoribus. Si autem post dispensationem obtentam, seu postquam rescriptum ad Ordinarium pervenerit, aliud impedimentum sit detectum, circa quod Ordinarius habet facultatem generalem, Ordinarius gaudet duplici potestate, scilicet dispensandi ab impedimento primo vi potestatis concessae in casu particulari, et dispensandi ab impedimento nuper comperto vi facultatis generalis. In secunda parte canonis 1050 Ordinario conceditur facultas utendi facultate sua generali, non obstante concursu duorum impedimentorum. Sic autem procedere debet ut evitetur ne secundum normas generales usus potestatis seu exsecutio rescripti fiat invalide ratione subreptionis. Subreptio habetur si rescriptum, in forma commissoria datum, executioni mandetur tempore, quo id, quod est reticitum sed de stylo Curiae exprimendum, existit. Ratio ergo, vi cuius dispensatio ab Ordinario concessa mediante executione rescripti in casu supra proposito est invalida, est quia exsecutio facta est tempore quo adhuc vigebat impedimentum reticitum, scilicet impedimentum consanguinitatis. Si impedimentum hoc compertum fuisset post obtentum rescriptum, sed *ante eiusdem executionem* et Ordinarius dispensasset primo ab

impedimento hoc detecto et deinde executioni mandasset rescriptum, dispensatio hac exsecutione data fuisset valida et utrumque impedimentum fuisset sublatum. Nam tempore exsecutionis non amplius exstitisset impedimentum aliud ideoque rescriptum non fuisset invalidum vitio subreptionis. Dicitur enim in can. 42: in rescriptis, in quibus habetur executor, preces veritate nitantur oportet *tempore executionis*.

In casu a nobis proposito Ordinario impossibile erat ab impedimento detecto dispensare ante exsecutionem rescripti S. Sedis. Nam impedimentum compertum est post exsecutionem peractam. Propter hoc executio est invalide facta. Sed nequidem propter hoc inutilis reddita est concessio in can. 1050 facta. Nam vi can. 59 § 1. « executori fas est, si quoque modo in rescriptorum executione erraverit, iterum eadem exsecutioni mandare ». In nostro casu ergo Ordinarius debuerat post compertum impedimentum consanguinitatis uti suis facultatibus ad normam can. 1050 et deinde iterum exsecutioni mandare rescriptum S. Sedis ad normam can. 58 § 1: quod nunc valide fieri potuerat, quia mutatione factorum, seu dispensatione concessa ab hoc impedimento, cessavit vitium subreptionis seu tempore huius secundae exsecutionis preces veritate nitebantur [12].

Si autem, ut rarissime contingit in dispensationibus matrimonialibus, rescriptum datum fuisset in forma gratiosa, dispensatio esset invalide concessa et can. 1050 non praeberet remedium. Can. 1050 supponit id quod communiter fit quoad formam rescripti in hac materia.

Nostrae quaestioni annexa est alia. Prohibitio utendi facultatibus habitis in casu consursus, de quo in can. 1050, est mera prohitio. Quare si contra praescriptum canonis Ordinarius utatur facultate sua, valide dispensat ab uno impedimento, quod reapse sublatum est. Estne tunc validum rescriptum S. Sedis, quo impetratur dispensatio ab alio impedimento, si reticeatur dispensatio data seu impedimentum iam dispensatum? Dispensatio invalida videtur defectu subreptionis, non quia tacetur existentia impedimenti (in hoc enim non est subreptio, quia reapse non amplius existit, sed quia tacetur dispensatio iam data ab alio impedimento. Nam de stylo Curiae esse videtur quod etiam haec circumstantia exprimatur, ita ut habeatur hic vera reticentia circumstantiae de stylo Curiae exprimendae.

L. Bender. O. P.

---

[12] Vide Michiels. *Normae Generales*. II. *De rescriptir*. Cap. IV, art. V.

JUS ECCLESIASTICUM

ITALIA

PROVVIDENZE E PREVIDENZE PER IL CLERO

Abbiamo dato notizia nel fascicolo precedente di questa Rivista (cfr. *Monitor Eccles.* vol. 76 pag. 170 ss.) dei nuovi miglioramenti economici concessi al Clero congruato e di un progetto di legge per un trattamento di previdenza a favore del medesimo Clero.

1. Quanto ai miglioramenti economici, come è stato già annunziato, è stato proposto un nuovo ulteriore aumento nela misura del 50% con decorrenza dal 1° luglio 1951. In conclusione si avrà un effettivo aumento del 100% sulla misura dei limiti di congrua attualmente spettanti al Clero.

E' chiaro che tanto l'aumento già approvato quanto quello proposto non corrispondono al « valore reale attuale » dela congrua garantita con l'art. 30 del Concordato Italiano.

Infatti, come fu già a suo tempo chiarito su questa stessa Rivista (cfr. *Il Monitore Ecclesiastico* vol. 72 (1947) pag. 132 ss.), la dizione concordataria « valore *reale attuale* » non può essere intesa nel senso di « valore legale della moneta e cioè del suo ragguaglio all'oro » (nel qual caso il Concordato avrebbe dovuto usare la dizione « valore *aureo attuale* »), ma nel senso di effettivo potere d'acquisto della lira al momento del Concordato. In altre parole nel Concordato è stata inserita una *clausola-valore* e non una *clausola-oro* [1].

Tenuto dunque presente che nel diritto ecclesiastico italiano l'assegno di congrua è di carattere alimentare; tenuto inoltre conto che il numero indice dei costi del capitolo « Alimentazione » è aumentato, dal 1929 a oggi, di circa 60 volte, ne segue che il valore *reale* della congrua fissata nel 1929 dal Concordato dovrebbe corrispondere oggi a 60 volte il limite di congrua allora stabilito. Invece l'aumento approvato corrisponde a 36 volte la base.

Si è tentato di avallare l'inadeguatezza dei successivi aumenti di congrua per il fatto che in alcuni casi una revisione della liquidazione del supplemento di congrua porterebbe alla cessazione della corresponsione del supplemento stesso per gli aumentati redditi del beneficio.

---

[1] Anche se si trattasse di una clausola-oro, l'aumento approvato, e anche quello ulteriore proposto, della congrua non raggiungerebbe il valore aureo dei limiti stabiliti dal Concordato.

Oltre a quanto fu già risposto in merito (cfr. *Il Monitore Eccles.* loc. cit.), va notato che la revisione predetta — anche se di fatto sia stata attuata in alcuni casi dal F. C. — non è prevista dal Concordato, tanto meno nella forma unilaterale praticata dal F. C.

L'art. 30 del Concordato è esplicito in materia: « Lo Stato Italiano, *finchè con nuovi accordi non avrà stabilito diversamente*, continuerà a supplire alle deficienze dei redditi dei beneficiari ecclesiastici con assegni da corrispondere *in misura non inferiore al valore reale di quella delle leggi attualmente in vigore* ecc. ».

Nessuno infatti ignora che la *base* del supplemento governativo di congrua fu sin d'allora giudicata inadeguata alle più elementari necessità di vita del beneficiato. Dunque è la base che con i nuovi previsti accordi bisognerebbe, semmai, rivedere, ossia adeguare al minimo indispensabile alla vita, per poi rivalutare tale base secondo il suo valore reale oggi.

Maximi autem momenti est Decisio XV *coram Wynen*, quae respicit virum nec amentem nec dementem, sed laborantem illa abnormitate, quam periti vocant « immoralitatem constitutionalem ». Sententia, in sua parte in jure, recolit tum principia canonistica et theologica tum novas doctrinas psychologicas et psychiatricas circa necessitatem cognitionis aestimativae ad constituendum actum humanum tamquam « tertii elementi » quod adiiceretur ad bina traditionalia elementa, quae sunt usus rationis et determinatio voluntatis. Quatenus istud tertium elementum continetur intra limites *discretionis et maturitatis judicii*, quae *proportionata* esse debet contractui matrimoniali, animadvertit Sententia, non agitur de re noviter adinventa ab hodiernis doctoribus, sed jamdiu exposita ex. gr. a Divo Thoma Aquinate juxta verba superius citata. « Cavendum tantummodo est — prosequitur Sententia — ne nova terminologia confusionem pariat neque trahatur ad consequentias falsas vel perniciosas in judiciis de validitate alicuius matrimonii concreti omni studio vitandas. In judicanda enim validitate consensus matrimonialis certi cuiusdam hominis, qui ex una parte est et proclamatur praeditus intelligentia ac libero arbitrio, et ex altera parte in contrahendo neque ebrius erat neque amentia, sive habituali sive actuali, laborabat, statim praesumendum est eum validum elicuisse consensum matrimonialem, nisi contrarium certo fuerit probatum. Quapropter in tali casu cautissime consideranda sunt vota psychiatrorum, qui nihilominus declarant defuisse aliquod elementum essentiale validi consensus. Siquidem adaequate describere actiones facultatum spiritualium hominis, jam theoretice est res ardua, quae per plus quam duo millia annorum, ab Aristotele usque ad hodiernam diem, occupavit et etiam nunc occupat mentem virorum maxime acutorum et perspicacium, speculationi metaphysicae et investigationi veri deditorum. Neque minus difficile est in casu practico alicui homini, sufficienti intelligentia communi ac libero arbitrio praedito, abiudicare facultatem ponendi actum vere humanum, saltem quoad objectum determinatum de quo agitur, v. g. matrimonium. Id eo magis tenendum est, quia cognitio conceptualis et cognitio aestimativa regulariter per numerice eumdem actum natura duce peraguntur, et quia praesumendum est determinatum quemdam hominem adultum, qui gaudet generali intelligentia et libero arbitrio, atque cognitione de natura matrimonii descripta in can. 1082, naturam necnon cum ea conjunctum valorem reapse cognoscere posse per actum mentalem, qui requiritur et sufficit, ut deinceps voluntas actu humano eliciat consensum validum. *Sufficit nempe cognitio aestimativa de substantia ac substantiali valore matrimonii, non requiritur ponderatio exacta omnium jurium et obligationum cum matrimonio connexarum.* Porro sufficit cognitio directa, non requiritur cognitio reflexa per novum actus intellectus » (pp. 151-152 n. 11 et 12).

Gressum dein facit Sententia ad sic dictam « immoralitatem constitutionalem » ad videndum num per eam superetur mox memorata praesumptio. Recensitis pluribus doctoribus potissimum praeteriti saeculi, qui anomaliam istam vocarunt etiam « folie raisonnante », « manie sans délire », « folie morale », « moral insanity » (agitur de asseclis doctrinae illius quae connectitur cum ideis noti auctoris Lombroso de *delinquente nato*, quae requgnant libero arbitrio hominis ideoque nequeunt a catholicis acceptari), Sententia ostendit saltem non agi de scientia certa, « unde desumenda est nova ratio, ob quam in dijudicanda nullitate alicuius matrimonii, ex capite eiusmodi defectus, omnino cauti simus necesse est » (p. 154 n. 14), atque concludit ad rem: « Nullatenus autem sustineri potest immoralitatem constitutionalem non esse aliud nisi speciem morbi mentalis » (p. 155 n. 16). Tales homines, qui delicta committere possunt saepeque committunt, quae eis certe imputantur, praesumendi sunt capaces ponendi validum consensum matrimonialem. « Nobis respondetur — pergit Sententia — tales homines non posse sufficienter aestimare valorem et momentum matrimonii omniumque obligationum cum eo connexarum. Sed quomodo scire possumuus, talem defectum esse adeo gravem, ut aestimare nequeant *substantialem* valorem matrimonii, si ipse Tanzi fatetur difficulter statui posse fines certos inter normam et anomaliam...? » (p. 156 n. 16).

Summa doctrinae amplissime expositae in Sententia (quam reproducere integre impossibile fere est, nisi velimus eam totam transcribere) iterum synthetice exponitur in eius fine, ubi postquam rejecta sunt vota septem medicorum concorditer fatentium invaliditatem consensus viri conventi ob immoralitatem constitutionalem, statuitur: « Impossibile est denegare viro facultatem sufficienter aestimandi naturam et momentum matrimonii, inquantum talis cognitio aestimativa necessaria est ut habeatur actus vere humanus. Siquidem sufficit cognitio aestimativa de *substantiali valore* rei, in specie, matrimonii, non autem requiritur exacta ponderatio omnium et singulorum jurium et obligationum cum matrimonio connexarum, multo minus requiritur firmum propositum adimplendi obligationes matrimoniales; neque requiritur cognitio aestimativa reflexa, sed sufficit *directa*. Haec autem cognitio aestimativa directa regulariter natura duce per *numero eumdem actum* peragitur quo perficitur cognitio mere conceptualis. Quare sat pauca requiruntur ut habeatur consensus validus in homine, qui sufficienti cognitione conceptuali de natura matrimonii, juxta can. 1082 § 1, et libero arbitrio praeditus est. Ut verbis utamur non a moderna psychologia, sed ab auctoribus nostris adhibitis: ad valide contrahendum non sufficit mera cognitio *quid sit* matrimonium, quae cognitio etiam in puero haberi potest, sed insuper requiritur *maturitas judicii*, quae contractui matrimoniali ineundo *proportionata* sit. Sed quominus hac in re nimium postulemus, prohibemur a communi doctrina nostra, declarante etiam semi-fatuos ad contrahendum matrimonium admittendos esse. In causa autem praesenti agitur de advocato, laurea in jure insignito, cui certissime non defuit neque necessaria cognitio conceptualis de natura matrimonii neque maturitas judicii, non obstante pravo ab eo contracto habito pec-

candi et delinquendi. Periti quidem, vestigia sequentes medicorum qui fuerunt a curatione viri quando iste sub influxu narcoticorum erat, atque perpendentes facta criminosa a Tito (convento in casu) patrata, attribuunt eidem Tito immoralitatem constitutionalem, quae scl. sive congenita sive per multos actus acquisita sit; sed iterum ac saepius notetur: sicuti alicui peccatori habituali nequit ideo, quia habitualiter pravos actus committit, abjudicari liberum arbitrium, ita ei abjudicari nequit facultas cognoscendi valorem substantialem rei agendae, etsi agatur de re magni ponderis qualis est matrimonium » (pp. 167-168 n. 28).

c) *ex capite erroris circa qualitatem personae redundantis in errorem personae.*

Una decisio super tali capite, eaque unica affirmativa, quoad sciamus, in postremis saltem annis activitatis Tribunalis, est Decisio XLVIII *coram Heard*, lata in causa ex dioecesi de Dinajpur in India. Attenta casus singularitate, pretium operis est eius partem in jure totam referre, et etiam in facto aliquatenus immorari.

Advertit sententia, post citatum canonem 1083 § 2 n. I°, magnam adesse difficultatem « ad dignoscendum quandonam error qualitatis redundet in substantiam sive in personam », atque addit tres attendendas esse regulas, prout sequitur:

« *Prima*: tunc qualitas redundat in substantiam cum quis actualiter intendit contrahere sub conditione talis qualitatis; tunc enim verificatur quod, deficiente conditione, omnino deficit consensus.

« *Secunda* regula est: quando qualitas non est communis aliis, sed propria et individualis, alicuius determinatae personae, puta si quis crederet contrahere cum primogenita regis Hispaniae... Dicit Angelicus (*Suppl.* q. 51 a. 2 ad 5): ' Si consensus mulieris feratur in istam personam directe, error nobilitatis ipsius non impediet matrimonium; si autem directe intendit consentire in filium regis, est error personae et impedietur matrimonium". Ubi observa quod hic clare loquitur Divus Thomas non de muliere quae erravit in credendo, sed de illa quae ante matrimonium directam habuit intentionem contrahendi cum filio regis, et ideo nullum dicit esse matrimonium cum alio celebratum.

« *Tertia* igitur regula quam tradit divus Thomas et sequuntur Scotus etc. est quod, si consensus fertur directe et principaliter in qualitatem, et minus principaliter in personam, tunc error in qualitate redundat in substantiam: secus si consensus principaliter fertur in personam et secundario in qualitatem: v. gr. si quis dixerit: Volo ducere Titiam quam puto esse nobilem, tunc error non redundat in substantiam, et ideo non invalidat matrimonium. Secus si dixerit: Volo ducere nobilem, qualem puto esse Titiam: tunc enim error redundat in substantiam, quia directe et principaliter intenditur qualitas et minus principaliter persona (S. Alphonsus, Theol. mor., t. III nn. 1013-1016) » (pp. 529-130).

Hucusque Sententia. Attamen, notari posset primam regulam potius quam errorem respicere conditionem; in tali enim casu, matrimonium nullum foret vi canonis 1092 seu ob conditionem appositam de praeterito

vel de praesenti, non revocatam neque verificatam, quam contrahens falso putaverit verificatam esse. Secunda autem regula casum respicit practice hodie saltem valde rarum, ne dicam impossibilem. Tertia tantum regula, quae tamen a quibusdam impugnatur, practicum habere potest momentum.

Attamen probatio difficillima est; nam pergit Sententia: « Verum quidem est in foro externo vix fieri posse quod talis intentio probetur et admittatur, quin fuerit in conditionem deducta vel pactum; sed non est absolute exclusum dari casum in quo, per circumstantias, praevalens intentio valeat demonstrari. Citatus canon 1083, dum ponit errorem circa qualitatem personae matrimonium dirimere quoties 'error qualitatis redundet in errorem personae' et silet omnino de necessitate habendi conditionem aut pactum ad id probandum, clare insinuat et aliam viam patere posse ad ostendendum etiam in foro externo errorem qualitatis in personam verti » (p. 530 n. 2).

Est quidem casus a tertia regula supra tradita qui evenit in facti-specie. Actor, « neoconversus, matrimonium christianum contrahere non volebat nisi juxta mentem et voluntatem sui loci... clare ostendit se in his moribus retinendis habuisse intentionem praevalentem » (p. 530 n. 3). Quare investigat Sententia « quid de contractu matrimoniali juxta consuetudinem loci sentiendum sit ».

Ac quidem « ibi mulieres discriminantur in duplicem et bene distinctam mercem... sunt viduae et sunt virgines: diverso pretio, et quidem taxative determinato, emuntur: 12 rupias viduae: 20 aut 25 rupias virgines. Porro si voluntas ementis fertur in virginem et solvit pretium pro virgine, patet exclusam fuisse viduam: voluntas ementis dirigitur directe et principaliter in qualitatem et minus principaliter in personam: revera intentio actoris ad hanc formam reducebatur: « Volo ducere virginem, quam puto esse Imeldam (conventam) », et error eius vere cadebat in substantiam. Quasi duo contractus paciscuntur in his casibus: pro uxore et pro virgine: pretium uxoris computatus in 12 rupias et pretium virginis in reliquas 8 rupias; et haec duo non sunt separabilia; etiam in casu, per mediatorem non est quaesita mulier in genere emenda 12 aut 20 Rs ad libitum, sed in concreto, virgo: qualitas ergo redundabat in personam et vidua excludebatur... Actor volebat ante omnia virginem et virgo non est data. Ergo nil actum est... In casu, semper prae oculis habendus est contractus consuetudinarius emptionis mulieris, cui actor obtemperabat in accommodanda mente sua matrimonio christiano » (pp. 531-532 n. 4).

In casu, maxima circumstantia ex qua comprobata est mens actoris directa principaliter in qualitatem, recensetur immediata dimissio mulieris et restitutio pretii. « Quod — notat Sententia — etsi juxta conceptus nostros videatur reduci posse ad conditionem resolutivam contractus validi, intime mentem hominum extraneorum a nostris elucubrationibus juridicis et a cognoscenda natura christiani connubii perscrutanti, apparebit gentem illam ad nihilum deducere matrimonium ubi error in intentione praevalenti irrepsit. Nemo certe exigere potest ab actore eiusque contribulibus conceptum declarationis nullitatis actus

antea emissi, quem nec rudes in nostris regionibus valent attingere; sed resolutio sat indicat quid de eodem actu eiusque valore tales homines sentiant » (pp. 531-532).

d) *ex capite defectus totalis consensus.*

Distinctam mentionem merentur binae decisiones *coram Grazioli Decano* XVI et XLIII, respicientes matrimonia inita ab acatholicis inter se coram civili magistratu. In priore agebatur de protestante hungarico contrahente cum muliere eiusdem nationis et sectae, in altera de protestante germanico contrahente cum rumena graeco-schismatica. In utroque casu, matrimonium asserebatur contractum civili ritu adamussim ad vitandam vim obligatoriam religiosi vinculi. Decisio XLIII, memorato canone 1099 § 2 eximente a canonica forma celebrationis omnes acatholicos inter se contrahentes, ait: « Acatholici proinde si inter se contrahant, valide matrimonium inire possunt quacumque servata forma, vel si civili tantum. At exinde *minime consequitur quaecumque matrimonia civilia ab acatholicis celebrata valida per se esse seu uti talia esse habenda.* Et christiani non catholici in genere autumant illud tantum matrimonium coram Deo esse validum quod fuerit sacro ritu idest coram ministello contractum; et ipsi proinde civile matrimonium saepe nullius habent momenti et ineunt solummodo ad civiles consequendos effectus. Singulis proinde in casibus sedulo investigandum est, quam mente acatholici, praetermissa vel neglecta matrimonii celebratione per religiosum ritum, illud civiliter contraxerint. Serio enim persaepe dubitari sin minus potest, num verum matrimonium inire voluerint an civilem tantum performare caeremoniam » (p. 468 n. 4). Confirmationem invenit Sententia pro hac thesi in lege, nam decretum « Ne temere » decernit: « Matrimonium civile inter acatholicos pro valido matrimonio etiam coram Ecclesia habetur, *dummodo contrahentes intentionem habeant verum matrimonium ineundi et non civilem tantum caeremoniam*, neque aliud obstet canonicum impedimentum » (p. 469 n. 5). Atque in doctrina; nam ait Wernz (*Jus Decret.* IV n. 207): « talia matrimonia civilia nequaquam valida sunt propter formam legemque civilem servatam, *neque absolute et simpliciter* (notentur haec verba), sed cum clausula « *dummodo constet de mutuo eorum consensu* », idest conjugum ad tramitem antiqui juris Decretalium ». Nec aliter E.mus Gasparri: « At si partes habiles sunt juxta Ecclesiae leges et actum civilem ponentes ante matrimonium coram Ecclesia, intenderint verum matrimonium, actus civilis est verum matrimonium, non quia lex civilis servata est, sed quia nihil deest juxta Ecclesiae legislationem necessarium ad matrimonii validitatem » (*De Matrim.* vol. II n. 1228) (Ibid. n. 5).

Hinc descendit non agi de nullitate matrimonii ex simulato consensu, sed de inexsistentia ipsa vinculi, quoniam, cum istud non formae alicui fulciatur sed mero consensui, deficiente consensu nec larva quidem matrimonii exsurgere potest. Aliis verbis, antequam de validitate vel nullitate horum connubiorum disceptetur, oportet ut constet ea revera contracta fuisse tamquam vera matrimonia. Nisi de hoc constet,

de nullitate amplius quaestio fieri nequit, ne sub simulationis quidem respectu. « Non enim simulatur quod nullum reputatur ». Consequitur proinde ut hisce matrimoniis non adsistat praesumptio statuta in can. 1086 § 1 (pp. 469-479 n. 6).

Practice, ad constabiliendum valorem istorum matrimoniorum, investiganda est mens populi, prout declaratum est in dec. IX anni 1912 *coram Heiner* (ibid. p. 470 n. 7).

Caeterae Decisiones respiciunt consensus defectum ob simulationem quam totalem ajunt.

Pauca in his invenimus, quae iam non legimus in Decisionibus praeteriti anni (cfr. *Monitor Eccl.*, 1950, pagg. 152-153).

Notamus, ex quattuor affirmativis decisionibus, *metum* in duabus invocatum fuisse tamquam causam simulationis (LXIV *coram Grazioli Decano* et LXXXII *coram Janasik*), in alia causam fuisse utilitatem oeconomicam pro viro prava indole abiectisque moribus imbuto. Haec decisio, quae est XXXIX (*coram Wynen*) in appellatione XXI[a] anni 1940 (cfr. in hac ephemeride, 1950, pag. 152), peculiari mentione digna videtur ob aestimationem plurimarum circumstantiarum, quarum princeps est dolosa machinatio ad vitandum civilem ritum, quem pessimus vir unum obligatorium habebat. Ac concludit sententia: « Sustinere quod talis vir, in enarratis circumstantiis matrimonium contrahens et post nuptias descripto modo se gerens, voluerit sincere suscipere obligationes cum matrimonio substantialiter connexas, et tantum sibi proposuerit violare susceptas obligationes, idem est ac negare quod Judex ex circumstantiis deducere valeat gravem immo vehementem praesumptionem hominis, quae pariat in eo certitudinem moralem. Et qui id negare praesumpserit, eo ipso negat possibilitatem cuiuscumque fere probationis in judicio, nam *absque efformatione praesumptionum*, praecipue vehementium, *Judex non amplius valet jus dicere* » (p. 445).

In binis Decisionibus *coram Canestri* (LVIII et LXXIX) animadvertitur non semper *matrimonium* « *pro forma* » contractum, esse debere simulatum: « Verum quidem est actum ad formalitatem positum aliquando simulatum esse posse; sed id, nisi solidis argumentis probetur, numquam admittere fas est; praesumptio et quidem sat vehemens stat pro actu, etsi ad formalitatem, sincere emisso; primo quidem, quia simulatio, quae non continetur in actu formalistico per se, sed eidem addi debet, per positivam intentionem fuisse propositam, demonstrandum est; secundo, quia simulatio, utpote detestabilem deceptionem sive in personas sive in institutiones publicas secumferens, non supponitur, sed tantum post certa argumenta admittitur, juxta principium: 'Nemo malus nisi probetur'. In causis autem matrimonialibus difficilius adhuc creditur, per formalitatem transitum factum fuisse ad simulationem, tum propter duplicem praesumptionem juris ex cc. 1014 et 1086 § 1, qua in casu sustinetur conjugale vinculum; tum ob gravitatem negotii, quo homo incredulus quoque et ecclesiastico matrimonio infensus, quamvis teneat sese formalitati accommodare, a vilissima deceptione in alteram partem eo vere momento quo eidem maximam amoris significationem testatur, tamquam a proditorio Iudae osculo abhorret, et si de con-

scientia nec cogitat, ob civiles conventiones ac leges quibus societas regitur, ob rudimentalem saltem dignitatis sensum, ne inter hystriones deputetur, dictis et promissis adligatum se tenet. Nec praetereundumu est, saepe ob defectum analysis in actum humanum tribuendum ignorantiae psychologiae et ethicae catholicae, nonnullos introducere causas matrimoniales in quibus voluntas aversa, sed denique consentiens, sive ob metum sive ob alias causas, confunditur cum voluntate simulante » (pp. 621-622 n. 5).

Decisio, negativa, infirmata tamen est a Turno Rotali sequente die 26 Januarii 1944, qui definitive declaravit matrimonii nullitatem.

Similia leguntur in alia citata decisione eiusdem Ponentis seu LXXIX, additis sequentibus animadversionibus: ex hoc praecise quia contrahens pro nihilo reputet matrimonium, nullam invenit difficultatem « ad admittendum et volendum actum prout in se est, quia non creditur ipsius obligationibus; quod tamen non obstat quominus realiter sumantur et agens sua propria stultitia captus inveniatur » (p. 856 n. 8). Praeterea, « gravior habetur praesumptio exclusae simulationis in matrimonio celebrato pro forma, ubi et quando ipse ritus civilis easdem retinet proprietates ac obligationes, praecipue quoad indissolubilitatem, quae in christiano connubio habentur » (ibid.).

Quae, uti patent, aptantur rebus et personis in Italia.

« Multo minus autem *levitas et inconsiderata mens* — legitur in eadem Decisione — qua quis ad altare accedit, consensum afficere potest in sua validitate » (p. 857 n. 9).

Diximus supra de causis, quae reputatae sunt aptae et proportionatae ad simulationem evincendam. Nunc in Decisione XIX *coram Heard* specimina videmus *causarum*, quae, sive in se, sive relate ad personas de quibus agitur, habitae sunt prorsus *insufficientes vel etiam contrariae*. « Ut causae simulationis adducuntur — ita Sententia —: a) promissio rei conventi patri suo morienti data se Elisabeth (actricem) in matrimonium ducturum esse, b) impossibilitas restituendi partem dotis solutam, et c) illiciti amores quos cum amasia fovebat. Sed promissio data simulationis causa dici nequit, imo consensum verum praestitum esse arguit... Sed etiam altera ratio, seu impossibilitas dotem restituendi, potius causa fuit matrimonium faciendi quam simulandi; exinde enim vir se ad ineundas nuptias moraliter obligatum esse sentiebat... Tertia causa simulandi fuissent illiciti amores quos cum amasia fovebat et quibus renuntiare volebat. Potuisse quidem virum hanc ob rationem consensum simulare nemo negabit; sed non necessario sic fecit, nihil enim in actis habetur ex quo deduci posset eum amasiae promisisse nuptias postea ineundas, imo haec mulier legitimo matrimonio cum alio conjuncta erat. Potuit igitur conventus, supra relatis causis impulsus, verum matrimonium cum actrice intendere et simul amores cum amasia prosequi, aliis verbis, obligationem contractus acceptare quin eam adimpleret; intentio enim amasiam retinendi minime consensum matrimonialem excludit, ut pluries in H. S. T. dictum est » (pp. 193-194 nn. 3-4-5).

Ad probationes quod attinet, recensemus Decisionem LXXIII *coram Quattrocolo circa valorem confessionis partis post editam contrariam sententiam*: « Notum est quod post editam contrariam sententiam confessio in judicio iterum facta, ab altera substantialiter discrepans, probationis profecto vi caret, quippe quae haesitantes nonnisi judices reddit utrum postremo confitens pars judicialiter quoque simulare tentaverit » (p. 795 n. 7).

Ac aliam *coram eodem Ponente* (Dec. XXI), ubi peremptoria tribuitur vis cuidam *documento publico civili*: « Ast validum decretoriumque argumentum ad nupturientium intentionem confirmandam verum matrimonium ineundi, et ad simulationem matrimonialis consensus denegandum in casu, instrumentum suppeditat a Notario (civili) confectum, nuptialis nempe contractus, quo matrimonii occasione ac regulari conventione mutuo sibimet sponsi donaverunt, praemoriens in favorem superstitis, usumfructum omnium bonorum mobilium et immobilium praemorienti spectantium, qualiter in folio instrumento adnexo recensita fuerunt... Ubi profecto, nisi determinatum animum sponsi habuissent conjugali ac catholico foedere coram Ecclesia perpetuo, seu usque ad mortem, se vere devinciendi, bonorum suorum redditus matrimonii intuitu neuter fruendos constituisset a superstite conjuge post obitum alterius. Quod simulationem consensus evidentissime et funditus perimit; hanc enim ad rem pertinet can. 1816, quo decernitur: « Documenta publica fidem faciunt de iis quae directe et principaliter in iisdem affirmantur » (pp. 212-213 n. 13).

In eadem Decisione suspicio movetur adversus *testes* etiam quia « in judicium vocatos... postquam ad invitationem ipsius actricis *scriptam declarationem exaraverant circa objectum apud omnes fere uniformem* » (p. 214 n. 15).

e) *ex capite exclusi boni prolis.*

Longe majoris momenti est Decisio XXXIII videntibus quinque Auditoribus *coram Wynen*, de qua jam disseruimus in recensione superioris voluminis utpote infirmante decisionem XXV a. 1940. (*Monitor Eccl.* 1950, pag. 157). Causa exclusionis sufficiens pro declaranda in casu nullitate matrimonii fuit aversio extraordinaria, non communis, legibus naturalibus contraria, qua mulier erga prolem animata erat. Agebatur de conditione in pactum deducta, cuius vim ad effectum provocandi matrimonii nullitatem Judices vindicarunt ex lege, ex doctrina et jurisprudentia amplissime exposita.

Quoddam interesse habere possunt etiam nonnullae animadversiones processum potius quam causam respicientes, quibus Judices confutarunt totidem exceptiones appellatae sententiae rotalis.

Ita, dum appellati judices dixerant testes *de scientia post nuptias* hausta esse suspectos, Decisio refutat istam assertionem animadvertentes: « Nam *tempus vere suspectum in casusis similibus incipit a die, qua pars, interesse habens, scit matrimonium suum forsitan posse declarari nullum*, atque, ut sibi procuret testes, incipit de capite nullitatis loqui » (p. 380).

« Non autem intelligitur curnam circumstantia quod *vir non induxerit testes* excutiendos a Patribus appellatis vocetur ' alia gravissima suspicionis causa ' » — ita quoque Decisio, quae pergit: « Etenim experientia teste in omnibus fere causis matrimonialibus accidit ut conventus, nisi positive contrarius sit intentioni suae uxoris, ex sua parte non inducat testes » (p. 379).

« Neque objiciatur *hunc vel illum testem in aliquo puncto exaggerasse*. Nam Nostrum non est examinare, utrum necne omnes et singuli testes in omnibus suis responsionibus plenam fidem mereantur aut semper ad veritatis leges deposuerint, sed tantummodo *an substantia rei* a testibus tam plene probata sit, ut in Judice oriatur certitudo moralis de veritate assertae exclusionis prolis. Atqui in casu hoc verificari omnino sustinendum esse censuerunt Patres de turno praesenti, quidquid sit de certis responsionibus particularibus, quibus sententia appellata momentum nimis magnum tribuit » (p. 382, 3°).

Ex aliis binis sententiis affirmativis huius voluminis, notandum est actum esse de intentione unilaterali, in conditione non deducta, perpetua tamen ac tenaciter servata, vitandi prolem. Sunt Decisio LVI *coram Canestri* (causa exclusionis erat lues) atque Decisio LXIV *coram Grazioli Decano*: in hac, jam memorata sub capite simulationis, causa fuit eadem qua admissa est simulatio: metus gravis (pp. 690-693).

In mox citata Dec. LVI notabilis est affirmatio in exclusione boni prolis venire non solum intentionem impediendi conceptionem, sed etiam *educationem prolis*, *saltem physicam*: quare « certum est nullum esse matrimonium si conjuges in actu contrahendi consentiunt quidem in perfectam copulae consummationem, sed excludunt jus ad veri seminis retentionem in vasis foemineis, vel ad conceptionem, vel ad evolutionem foetus, per abortum eiiciendi, vel ad vitam necnon integritatem membrorum prolis jam editae » (p. 603 n. 6).

f) *ex capite exclusi boni sacramenti.*

Nihil invenimus quod jam in superioris anni Decisionibus notatum non fuerit quoad caput istud (*Monitor Eccl.*, 1950, pagg. 153-155).

Una cum aliis capitibus similibus (exclusione boni prolis et fidei, simulatione totali), caput istud invocatur — prout saepe accidit — in causa a supra citata Decisione XXI *coram Quattrocolo* definita, et ob eadem motiva rejicitur. Potissimum adversus exclusam perpetuitatem vinculi adductus est contractus nuptialis, a notario civili confectus ideoque documentum publicum, in quo partes — uti visum est — disponebant de redditibus bonorum suorum « *morte tantum intercedente* obvenientibus superstiti conjugi. Quod sponsi profecto tam solemniter et perpetuo haud constituissent, si vinculum matrimoniale per civile divortium solvendum sibi reservassent » (p. 215 n. 17).

g) *ex capite exclusi boni fidei.*

Si quis facilem credat in nostro foro huius capitis probationem, utiliter legere poterit Decisionem LVIII *coram Canestri*, jam citatam: « Bonum fidei, circa quod communiter deprehenduntur errores in con-

ceptu, deest tantummodo cum saltem unus ex contrahentibus, in matrimonii celebratione, intendit, praeter traditionem et acceptationem juris ad actus conjugales cum altero contrahente, etiam jus aut obligationem ad actus conjugales cum tertia persona. Quod, ut quisque videt, diversimode ac in exclusione boni prolis, difficillimum est, cum *ordinarie adulteri intendant exercitium infidelitatis, non jus ad eamdem* ».

Eadem Decisio adnotat caput hoc non posse cum totali simulatione consistere. Nam pergit: « absurdum vero esset concipere denegatum bonum fidei in eo qui absolute rejicit matrimonium quod celebrat, nolens se ulli umquam vinculo alligare: cuinam et quamnam dividet carnem? » (p. 622 n. 6).

Magis ardua adhuc videtur probatio huius capitis, si consideretur Decisio LXXIII *coram Quattrocolo*. Plene enim in ea probata conceditur intentio mulieris conventae perseverandi etiam post matrimonium in relatione cum suo amasio quem vehementissime amabat prout apparet etiam ex epistulis paucis diebus ei ante nuptias datis.

Insuper in hisce epistulis, prout declarat sententia ipsa, « plurima verba adnotantur, ex quibus consequi videretur sui corporis copiam mulierem haud marito, sed amasio tradidisse » (p. 798 n. 11). Nec defuit turpis relationis continuatio post nuptias, immo epistolare commercium inter amasios iam decem diebus post reassumptum est. Ast hisce omnibus minime obstantibus, sententia pariter denegavit nullitatis declarationem, aiens ex epistulis praesertim post nuptias datas apparere eam reapse suo viro (actori) sese concessisse eiusque iura coniugalia recognovisse. Exinde videretur descendere iuxta mentem Patrum non sufficere « divisionem carnis » prout mox visa Decisio *coram Canestri* tenet, sed traditio oportere fiat juris in corpus uni amasio, recusato coniugi iure quolibet, imo etiam quolibet contactu sexuali. Attamen, recentiores Rotales Decisiones non videntur amplexisse hanc rigidiorem interpretationem.

Ad probationes quod attinet, notamus Decisionem XXI *coram Quattrocolo* negare ipsam intentionem adulterandi (quae de se non operatur, prout vidimus) ex eo quod actrix conventum induxerat coram civili magistratu eum arguens adulterii. « Porro mulier, quae apud civile Tribunal adulterium adiudicat viro, tutissimum argumentum suppeditat ad affirmandum quod ante nuptias in eo haud consenserat » (p. 217 n. 19).

h) *ex capite conditionis licitae.*

Duae Decisiones (XL et LXXII) respiciunt conditionem a viro oppositam de sponsae virginitate. Decisio VIII conditionem a viro appositam quod uxor secum cohabitaret. Decisio L conditionem a viro appositam de sponsae foecunditate. Decisio LXV conditionem a muliere appositam cohabitandi in quodam loco cum viro non ultra mensem cum dimidio pro unoquoque anno (quae conditio declarata est turpis a Judicibus ideoque praesumenda non adjecta utpote nutritiva peccati et contraria canoni 1128 « qui pertinet ad ius naturae » (pp. 702-703 n. 14). Decisio LXIX respicit conditionem a viro appositam de honestate familiae sponsae. Decisio XXII conditionem a muliere appositam de viri fidelitate.

Agitur de conditionibus de praesenti vel praeterito, vel etiam de futuro potestativis, pro quibus tamen viget nota interpretatio quae eas transfert in conditiones de praesenti compartis sincera promissione adimplendi susceptum onus. Excipitur postrema, seu Decisio XXII *coram Heard*, quae, praemissa expositione huius traditionalis interpretationis praesumptivae, adnotat: « *Sed si pars, quae conditionem posuit, modo non ambiguo sensum conditionis manifestaverit, non licet Judici propriam interpretationem voluntati expressae partis substituere* » (p. 224 n. 2). In casu quidem sententia appellatos iudices arguit quod istam adhibuerint interpretationem: « Non licet hoc modo interpretari verba quae in se tam clara sunt et conditionem de praesenti excludunt. Et praeterea non agitur de re quae in perpetuum contractum suspenderet. Suffecisset vel ad certitudinem sive continuati sive reassumpti turpis amoris (viri conventi) pervenire, vel ad certitudinem omnino obtruncati pravi commercii pervenire, quo acto matrimonium valere inciperet. Sensus communis dictabat normae (actrici) non esse exspectandam possibilem reassumptionem futuram post plures annos (passiones in genere instabiles sunt), et quaestio definiri debuisset infra breve tempus post matrimonium » (p. 228 n. 13).

Decisiones, negativae omnes, uti supra dictum est, non probatas declararunt assertas conditiones ob varia motiva, potissimum ob modum sese gerendi assertorum opponentium qui non abruperunt coniugale consortium illico et immediate post detectam inexistentiam seu non-verificationem circumstantiae quam in conditionem se deduxisse praetendebant. Attamen in Decisione VIII *coram Jullien* animadvertitur: « separatio etiam definitiva non est nisi signum ambiguum de consensu conditionali. Enimvero qui erravit quive deceptus est, is saepius divertere vult, quin sub conditione fuerit requisita qualitas seu circumstantia vehementer expetita » (p. 67 n. 8).

k) *ex capite impotentiae viri.*

Quod spectat ad impotentiam ob incapacitatem conferendi primum elementum copulae, quod est erectio virilis membri, notandae sunt Decisiones LV *coram Quattrocolo* et LXXXIII *coram Grazioli Decano*, non ob iuridicas affirmationes, sed quia in facto retinuerant perpetuitatem impotentiae, quamvis non adessent vitia anatomica in viri genitalibus. Probatae tamen sunt infirmitates organicae graves pariter influentes in functiones sexuales; quare, advertit sententia altera, haec impotentia « improprie seu secundum quid « functionalis » nuncupari potest, sed *verius in organicam seu anatomicam resolvitur* » (p. 900 n. 7). Praessius, Decisio haec respicit virum frigiditate constitutionali laborantem, connexa cum statu asthenico totius systematis nervei, peculiariter centrorum spinalium dum Decisio prior seu LV respicit virum qui acquisiverat tabem dorsalem ex contagione siphylitica non recte curata.

Quod spectat ad secundum elementum (incapacitatem penetrandi), memoramus Decisionem LXVII, affirmativam, *coram Teodori*: est casus hypospadiae balanicae.

Quod demum spectat ad elementum tertium (incapacitatem emittendi semen verum), nota digna videtur Decisio XXVIII *coram Wynen*, quae adhuc amplius evolvit conceptus veri seminis virilis relate ad dec. XIII a. 1940 eiusdem Ponentis (*Monitor Eccl.* 1950, p. 308), pluribus scientificis quaestionibus fuse illustratis et cribratis, quas impossibile esset heic breviter reassumere. Sententia, negativa super tum nullitate tum inconsummatione, infirmata est super altero capite a Turno Rotali sequente, die 30 novembris 1943.

Circa probationes huius defectus, ex alia *coram Wynen* — XLVI — referimus sequentes animadversiones: « Patet non posse erui ex depositionibus partium et testium communium, num testiculi viri nequeant elaborare verum semen, vel num semen elaboratum ad extra effundi nequeat una cum alio liquido quod in copula ejaculari solet. Equidem partes et testes nos docere valent de facto quod et quando vir ante nuptias aliquo morbo venereo, puta a morbo blenorrhagico, affectus fuerit, et de dictis medicorum, qui a curatione aegroti fuerunt: sed naturam ipsius morbi cum suis sequelis concretis describere spectat ad medicos, qui aegroto curam praebuerunt, vel qui, inspecto viro durante instructione causae, votum suum dederunt uti periti a Tribunali constituti. Nihilominus *accidere potest ut vota peritorum infirmentur depositionibus alicuius partis vel testis, qui manifestavit certum quoddam factum quod ipsos peritos latuit vel ab eis sufficienter perpensum non fuit*, quod tamen maximi momenti est ad eruendum v. g. utrum asserta impotentia nuptias certe antecesserit, necne. Quare judex non peritorum tantum conclusiones, etsi concordes, sed cetera quoque causae adjuncta attente perpendere debet, cfr. can. 1804 § 1 » (pp. 504-505 n. 3).

i) *ex capite impotentiae mulieris.*

Anno 1941, die 12 februarii, S. Congregatio S. Officii confirmavit utique esse necessariam ad matrimonii consummationem penetrationem virilis membri in vaginam et seminationem saltem partialem in ea naturali modo peractam, sed simul declaravit sufficere imperfectam penetrationem, ac peculiariter negavit « tantam vaginae penetrationem requiri, ut glans tota intra vaginam versetur ».

Prima Rotalis Sententia quae istam declarationem citavit et applicavit fuit XVII *coram Teodori*, die 7 martii 1941 pronuntiata (pp. 182-183 n. 2). Ita etiam, inter alias, Decisio LVII *coram Jullien* (p. 617 n. 9).

Quoniam hypotheses impotentiae muliebris practice sese reducunt hodie ad carentiam vaginae et ad eius impenetrabilitatem absolutam vel relativam, dicta declaratio videtur adhuc coarctasse limites iam valde rigidos intra quos ex tali capite potest matrimonii nullitas pronuntiari.

Impenetrabilis videtur fuisse vagina de qua legitur in affirmativa Decisione LXXXIX *coram Canestri*, quia, etsi longa cm. 4, 5, ideoque sufficiens ad penetrationem partialem membri virilis, nimis arcta tamen erat quippe quae nonnisi 5 cm. circuitus in limine attingebat (pp. 691-692 n. 9).

In duobus aliis casibus, de vagina « monstruosa » agitur, quae ideo potius inexsistens habita est a Judicibus.

Prior examinatur a Decisione IX *coram Grazioli Decano* in appellatione ab affirmativa sententia *coram Quattrocolo* diei 9 februarii 1937, quae confirmatur quia certo compertum est vaginam « unice cum vesica urinaria communicare, ex quo fit ut occasione coitus urina in eamdem vaginam defluat et sua aciditate nemaspermata occidat » (p. 78 n. 10). Unde animadvertitur: « non sine aliquo fundamento... deduxere appellati Patres eam, quae vagina in casu nuncupatur, uretram potius esse » (ibid. n. 9).

Alterum casum respicit Decisio LXII *coram Quattrocolo*, a qua pretium est operis haec referre: « Nomine vaginae organum intelligitur ad instar flaccidi canalis, ex parte anteriore membrana hymenaea clausi in statu virginali, ex parte posteriore autem aperti, ita ut semen receptum in uteri collum permeare valeat. Si idcirco in copula perficienda virile membrum penetrare cogatur ' nel connettivo lasso sottostante all'imene ', vel si loco vaginalis canalis quaedam prostet caverna, quae vocatur ' sacco chiuso ', vel si rudimentalis ea sit aut ita deformis ut vaginae nomen et conceptus juridicus exulant omnino, quia *aliquid haberetur substantialiter a vagina diversum*, seu *monstruosa quaedam efformatio* nedum ordinationi naturae contraria, sed viro fastidiosa et acerba, ineptaque ad concupiscentiam sedandam » (p. 664 n. 9).

Haec quoque Sententia sibi proponit objectionem, quae moveri posset a supra memorata declaratione S. Officii, quia quaedam penetratio in casu adfuerat. Ita respondent Sententia: « Quin obstet in casu recentissimum decretum S. Officii diei 12 Februarii 1941, quo partialis penetratio penis in vaginam, seminationem permittens in ipsa vagina, sufficiens dicitur ad matrimonii consummationem. Hac enim declaratione vagina supponitur in suis elementis constitutivis apta ad veretrum communiter recipiendum, seu respondens actioni humanae tamquam organum copulatorium mulieris, atque inserviens ordinationi naturae. In subjecta e contra specie res aliter profecto se habet, prouti ex dictis luculentissime patet etc. » (Ibid. n. 9).

Decisio haec adprobationem Summi Pontificis quodammodo recepit, quia Ipse, referente Tribunalis Decano, derogavit a canone 1986 exigente duplicem conformem decisionem, et illico permisit actorem novas inire nuptias; quae derogatio concessa est « attenta peculiari impotentiae natura qua in casu rea conventa laborat, medicorum judicio adeo manifesta ut dubitari de ea nequeat » (pp. 665-666).

j) *ex capite ligaminis.*

Decisio XLV *coram Janasik* casum praesefert quae nullam peculiaritatem in jure continet, dum aliquod interesse habere potest processuali sub respectu, quia agitur de sententia lata juxta proceduram specialem summariam ad normam canonis 1990, absque necessitate duplicis conformis decisionis. Procedura haec, quae Ordinariis, uti pernotum est, reservatur, servata est a Rota ex speciali Pontificis facultate, quia exsistentia ligaminis praecedentis matrimonii conventae fortuito emersit

ex inspectione actorum in Rota, ad quam pervenerant ex appellatione Defensoris vinculi alicuius tribunalis dioecesani a sententia in causa acta inter easdem partes super alio capite (pp. 496 ss.).

1) *ex capite defectus formae.*

Ex quinque Decisionibus super hoc capite, quattuor nullum speciale praeseferunt interesse, cum agatur de asserto defectu delegationis ad sacerdotem celebrantem: quae delegatio in Decisionibus XXX, LII et XCI reputata est concessa et quidem valide, dum in Decisione LXXXV *coram Pecorari* conclusum certo est pro eius defectu ideoque pro matrimonii nullitate.

Peculiaris e contra mentio facienda est Decisionis LXVIII *coram Wynen* in quadam causa Pompejana, in qua plures valdeque complexae quaestiones etiam juridicae resolutae sunt.

Harum prima respiciens naturam potestatis jurisdictionis vicarii Cardinalis, qui, ante erectionem Praelaturae nullius Pompejanae, sanctuarium illud regebat tamquam Vicarius Pontificius, quoddam momentum non mere historicum adhuc habere potest pro locis ubi simile vigeat regimen.

Praemisso locum de quo agitur avulsum esse a qualibet jurisdictione dioecesana et immediate subjectum esse Sanctae Sedis, patet Ordinarium ejus nonnisi Summum Pontificem esse. Vicarius autem Summi Pontificis, cum non recenseatur inter « ordinarios » de quibus in canone 198, est merus delegatus. Delegatus iste potest certe subdelegare ad normam 199 § 2, non autem sibi constituere vicarios. Revera Pompejis Cardinalis sibi constituerat vicarium, qui tamen reapse non erat nisi subdelegatus. Iste certe celebrare poterat matrimonia, ex subdelegatione habituali admissa a can. 199 § 2. Quaestio est an iste subdelegatus posset subdelegare alium sacerdotem ad celebrandum matrimonium, nulla recepta expressa facultate iterum subdelegandi juxta canonem 199 § 5. Nam iste adamussim erat casus a Decisione examinatus. Decisio eum resolvit sensu affirmativo, nempe istam novam subdelegationem validam esse, argumentando ex canone 465 § 4, juxta quem parochus qui ultra hebdomadam residentiam suam derelinquit debet « vicarium substitutum sui loco relinquere ab Ordinario adprobandum (Cardinalis generatim in Urbe residebat); ex canone 474, juxta quem vicarius legitime constitutus locum parochi tenet in omnibus quae ad animarum curam spectant, necnon ex declaratione diei 20 Maji 1923 Pontificiae Commissionis ad codicis canones authentice interpretandos, juxta quam vicarius substitutus potest licentiam assistendi matrimonio dare sacerdoti determinato ad matrimonium determinatum (pp. 720-724). Insuper admittit Decisio locum dari hoc in casu canoni 209, juxta quem, in errore communi Ecclesia supplet jurisdictionem (p. 725 n. 11).

Secunda quaestio erat an et quomodo de facto delegatio seu licentia data fuerit Episcopo cuidam, qui a loco longinquo provenire debebat matrimonio adstiturus.

Est quaestio praevalenter facti; sed heic interest adnotare Decisionem, disserendo de licentia, quam statuit esse debere *expressam* (exclu-

dendo scilicet tum tacitam, tum interpretativam seu praesumptam), admittere — contra opinionem E.mi Gasparri — eam dari posse non oretenus tantum, sed etiam *signis aequipollentibus;* quibus Decisio aequiparat etiam *actiones seu facta vere concludentia* et praecedentia celebrationem matrimonii. Memorato quod « facta vere concludentia dici debent solum quando manifeste ex illis colligi potest delegationem intendi, seu si aliam explicationem probabilem non admittunt », Decisio eorum specimina — e factispecie causae decisae desumpta — recenset, prout sequitur: « Si igitur e. g. qui parochus vel vicem parochi gerens, pridie nuptiarum certior factus de matrimonio in sua ecclesia die sequenti celebrando coram sacerdote in dignitate constituto, puta coram aliquo Episcopo alieno, jubet sacristam omnia ita praeparare ut celebratio matrimonii digne locum habeat: omnia suadent parochum sic agendo expresse manifestasse suam voluntatem delegandi, praesertim si die sequenti proficiscetur, quin alius adsit in loco qui delegare valeat » (p. 729 p. 17).

Addit tamen Decisio: «Negari nequit talem praesumptionem hominis superari posse probatione contraria. Si nempe — ut maneamus in exemplo allato — parochus certior factus de matrimonio cras celebrando, miratur quod nulla ab ipso petita fuerit licentia, et non obstante palia positive adhuc sibi reservat concessionem licentiae, et si deinceps, oblitus rei, ex inopinato proficisci debet; tunc utique sermo esse nequit de licentia jam concessa. Sed donec contrarium probetur, concessio licentiae per actionem concludentem saltem adeo positive probabilis vel certa est, ut impedire valeat quominus matrimonium declaretur nullum ob defectum in sacerdote assistente matrimonio » (Ibid.).

Notabilis momenti est etiam quod habet decisio de tenore licentiae: « Restat ut agamus de *tenore* ipso licentiae, quae facultatem valide assistendi matrimonio contineri potest vel *explicite* vel *implicite*. Licentia explicita habetur, quando delegatio clare et in specie continetur in verbis vel signis a delegante adhibitis. Implicita habetur, quando facultas assistendi matrimonio continetur vel in aliqua potestate generali commissa, v. g. in administratione paroeciae ab Episcopo alicui administratori temporaneo collata, vel in aliquo actu particulari qui facultatem assistendi praesupponit, v. g. in jussu assistendi matrimonio, a parocho vel Ordinario dato alicui cooperatori quel antea facultate assistendi huic praecise matrimonio privaverat. Utramque licentiam, tum explicitam tum implicitam, esse validam per se patet » (p. 730 n. 19).

Sententia decrevit in facto delegationem valide concessam fuisse.

Tertia quaestio erat « an Episcopus, qui matrimonio adstitit, delegationem seu licentiam, si qua data fuerit,valide acceptaverit ».

Quaestio ista secumfert quaestionem gravem juris: an scilicet necessaria sit, ad celebrationis validitatem, quod delegatio acceptetur a delegato. Res amplissime pertractatur a Decisione Rotali (pp. 744-750), quae, exposita et notata absoluta concordia opinionum auctorum omnium tum hodiernorum tum antiquiorum (uno excepto Engel, in saeculo XVII), concludit necessariam esse, ad validitatem, praeviam cognitionem li-

centiae ex parte delegati necnon eiusdem acceptationem, saltem implicitam.

Decisio Rotalis in facto decrevit celebrantem valide acceptasse licentiam. Quare conclusit pro matrimonii validitate. Attamen infirmata est a Turno Rotali subsequente, die 25 Maji 1942, qui tres quaestiones cunctas in opposito sensu resolvit.

* * *

Duae aliae Decisiones respiciunt materiam matrimonialem, quin meritum nullitatis attingant. Decisio XLII *coram Teodori* tractat de inhabilitate cuiusdam actoris ad accusandum matrimonium nullitatis ad normam canonis 1971 § 1 n. I°, quippe causae culpabilis eiusdem nullitatis, eumque in facto inhabilem declarat. Notandum tamen decisionem latam esse ante recentiorem interpretationem authenticam Codicis, juxta quam causa culpabilis intelligenda est causa et directa et dolosa (Comm. Interpr. 27 Julii 1942).

Decisio LXXX *coram Canestri* respicit quaestionem incidentem de admittenda nova propositione causae post duplicem conformem negativam decisionem. Admittit Decisio « *canonem 1989, qui ad retractandam causam matrimonialem requirit simpliciter ut ' nova argumenta praesto sint ' emollire vim canonis 1903*, qui exigit alias causas de statu personarum admitti tantum posse ' novis prolatis iisdemque gravibus argumentis vel documentis ' », sed addit: « in causis matrimonialibus quoque argumenta notabili sua vi carere nequeunt » (p. 871 n. 3). Rationes huius sententiae fusius exposuit illustravitque idem Ponens in nuperrimis binis Decretis publicatis in hac ephemeride (1950, pp. 409-412), ad quae igitur liceat referri.

DECISIONES IN MATERIA NON MATRIMONIALI

In re non matrimoniali, Rota anno 1941 quinque edidit decisiones, quarum brevem mentionem heic facimus.

Decisio VII *coram Quattrocolo* agit de jure funerandi. Est simplex applicatio canonis 1230 § 7: « Si cadaver mittatur ad locum ubi nec defunctus propriam paroeciam habebat, nec ecclesia funeris legitime fuerat electa, jus levandi cadaver, peragendi exsequias, si peragendae sint, et cadaver ad sepulturam deducendi, pertinet ad ecclesiam cathedralem ejusdem loci; quae si desit, ad ecclesiam paroecialem in qua coemeterium situm est, *nisi aliud ferant* loci consuetudo aut *dioecesana statuta* ». In loco autem de quo agebatur, dioecesana statuta dictum jus non paroeciae coemeterii tribuebant, sed « digniori ecclesiae loci », quae in casu erat ecclesia praepositurali. Unde lis definita est in favorem praepositi parochi (pp. 60-61).

Decisio XIII *coram Canestri* plures quaestiones processualis notabilis ponderis resolvit.

Prima quaestio respicit admissionem appellationis propositae ultra

fatalia. Pars gravata (persona moralis religiosa) inter alia sustinebat non fuisse validam notificationem sententiae factam procuratori, sed debuisse fieri parti ipsi vel procuratori speciali munito mandato. Recte Sententia Rotalis exceptionem rejecit, statuens: « *Sententia certe notificari potest tum partibus tum earum procuratoribus;* non enim ullum praescriptum in jure invenitur, quo per speciale mandatum procurator notificationem sententiae recipere teneatur: imo ex canone 1664 § 2, si jus et officium habet appellandi quoties ' mandans non renuat ', recte subintelligitur omnia per se explere posse vi ipsius mandati usque ab initio obtenti » (p. 117 n. 9). Neque exceptio, juxta Decisionem, sustineri potest ex tenore « canonis 1877, memorantis solas partes in communicatione sententiae recipienda, sed obvia ipsius canonis declaratio secundum logicam, communem sensum et plurium civilium legum statuta, erit videnda » (ibid.).

Secunda quaestio est *an possit concedi restitutio in integrum ad appellandum ob errorem et negligentiam procuratorum.*

Agitur de remedio extraordinario praeviso a canonibus 1687-1688 in favorem minorum vel minorum jure fruentibus, qualis in casu recurrens erat utpote persona moralis religiosa.

At recte Decisio tale remedium coarctat. Et quidem imprimis juxta veterem disciplinam et juxta can. 1687 § 1 coarctat ad casum in quo deficiat remedium ordinarium, quod, in hypothesi negligentiae procuratorum, invenietur in regressu ad indemnitatem adversus eosdem. Insuper « ad obtinendum tam pingue beneficium, requiritur ' ut qui restitutionem petit, non solum laesus sit tali contractu vel actu, sed etiam ut de laesione manifeste constet, vel illa legitime probetur in judicio per testes, vel alia legitima documenta ' (Abb. in c. h. tit. n. 2). Ratio est quia si illis, quibus beneficium restitutionis in integrum competit, ita restituerentur etiam si laesi non essent, vel laesio non sufficienter probata, nemo facile cum ejusmodi personis vellet contrahere, magno commercii publici et privato ipsorummet restituendorum damno (1. *Quod si minor* 24 ff. *De Minor.;* Schmalzgrueber, *Jus eccl.* tom. I, p. 2 tit. 41 § 1, n. 2, resp. 3). Ideo in restitutione in integrum contra decursa fatalia appellationis non sufficit sententiam esse simpliciter in gradu admittendae novae instantiae per gravamina illa quae semper bona voluntate confici queunt, sed revera aliquo notabili et peculiari defectu laborare, atque hoc, quia sententia habet semper pro se praesumptionem justitiae et veritatis, quae solida probatione impugnari debet, ad ostendendum ex neglecta appellatione veram laesionem fuisse ortam... Quod si res ita haud essent et beneficium restitutionis ad arbitrium semper praesto intercederet, absque respectu ad praesumptionem pro sententia, facile aditus panderetur ad obvios gravesque abusus, quibus omnis minor et magis minorum jure fruens, neglectis appellationibus, sine fine adversarios defatigare valeret » (pp. 118-119 nn. 10-11).

Sententia in facto negavit remedium extraordinarium restitutionis ad appellandum, declarans potius faciendum esse regressum adversus procuratores, si verum esset eorum culpa fatalia elapsa fuisse sine appellatione.

Tertia quaestio erat an concedenda esset *restitutio in integrum adversus sententiam* tribunalis inferioris (quae ob fatalium lapsum in rem judicatam transierat) ad normam canonis 1905 § 2 n. 4, nempe *ob evidenter neglectum legis praescriptum.*

Recte quaestionem circumscribendam esse edixerunt Judices ad hoc: « num quae in sententia impugnantur, *tali evidentia erronea sint, ut contra se nullum, ne prudens quidem, dubium admittant;* et intellectus ita neglecti juris veritati adhaerere cogatur, ut nullam absolute oppositae opinionis patiatur formidinem: ' praesumitur *evidenter* neglectum praescriptum juris, quoties sit clarum; secus si obscurum et dubium ' — ita Noval (*De proc.* Pars I, *De Jud.* n. 681) et recte quidem, nam si quid latum in huius canonis interpretatione irrepserit, frustraretur legislatoris mens circumscribendi justis limitibus beneficium restitutionis in integrum: atque per hoc idem remedium aequitatis, tota ratio boni publici ac privati, quae oritur ex firmitate rei judicatae, pessum iret » (pp. 122-123 n. 17).

Quoad interpretationem canonis 1905 § 2 n. 4, ita pergit Decisio: « Ex communi... interpretatione, neglectus legis haberi potest dupliciter: scilicet, sive judex legem non bene intellexerit (*violatio legis*), sive eam erronee praetermiserit casui concreto applicare (*falsa applicatio*, ratio non habita alicuius legis) » (p. 123 n. 17).

Etiam ista recursus pars rejecta est a rotali Decisione.

Decisio XLI *coram Jullien* definit quaestionem de ambitu rei judicatae efformatae super quadam superiore sententia rotali in lite inter personas ecclesiasticas. Decisio, memorato utique, ut habeatur exceptio rei judicatae, agi debere de *eadem* causa, seu 1) de eaedm re petita, 2) de eisdem partibus, 3) de eadem causa petendi, bene explicat quid intelligendum sit pro « causa petendi »: intelligitur actio: unde distinguitur a titulis ex. gr. acquirendi dominii; et differt etiam « *ab exceptionibus quibus conventus actioni resistit. Quae distinctio inter causam petendi et motiva seu probationes exceptionesve, declaratur et firmatur canone 1891, quo edicitur in gradu appellationis admitti non posse novam petendi causam, bene vero nova argumenta seu documenta et probationes* » (p. 458 n. 4).

In facto, retinuit Decisio sub specie novae causae petendi, actorem temptasse reproducere exceptiones et probationes sui juris frustra adductas in superiore processu. Quare declaratum est exceptionem rei judicatae ex superiore sententia rotali impedire quominus nova actio admitteretur (pp. 460-461).

Decisio LI, item *coram Jullien*, respicit quaestiones meri facti circa pecuniam mutuo datam, sub imperio legis civilis italicae.

Decisio LXVI *coram Teodori* reiicit recursum cuiusdam Episcopi Orientalis ad obtinendam restitutionem in integrum adversus duplicem decisionem sibi contrariam tribunalium dioecesanorum in materia pen-

sionis. Decisio simpliciter advertit non constare de evidenti injustitia sententiarum ad normam canonis 1905 § 2 n. 4, cum e contra videatur bene fundatum jus alterius partis (pp. 708-709).

RICHARDUS ROMANO *Advocatus Rotalis*
de Collegio Procuratorum SS. PP. AA.

TH. M. VLAMING — L. BENDER, *Praelectiones Juris Matrimonii*, Ed. quarta Brand — Hollandia 1950 - pp. XX, 574 - Pr. Fl. 7,90.

Maxime laudandum est opus quod Cl. P. Bender perfecit quarto edendo librum M. Th. Vlaming. Tertia huius operis editio edita fuit anno 1919 a ipso Vlaming; at, cum « juris canonici periti et theologiae moralis cultores non pauci dolendum esse iudicaverint, si *Praelectiones Juris Matrimonii* a Vlaming, viro magna scientia et experientia insignis, post mortem auctoris non iterum ederentur; opus enim magno cum plausu acceptum et magno cum fructu adhibitum fuit in scholis », per — opportunum visum fuit Cl. P. Bender ipsum quarto edere. Haec autem nova editio, cum post triginta annos a tertia publici iuris facta sit, multas quaestiones novas multasque novas solutiones continet quae in tertia, edita statim post promulgationem Cod. Juris Canonici, non habebat. Et « ut opus esset adaptatum usui omnium hominum et scholarum praecipue illarum quae Romae habentur ubi studentes ex toto mundo confluunt, — scribit A. quartae editionis — omisi fere omnia, quae solum respiciunt jus particulare in primi auctoris patria vel dioecesi vigens. Etiam omisi ea, quae cohaerent cum jure civili huius patriae ».

Opus olim duobus constans voluminibus, nunc in uno majoris molis prodit.

Animadvertit A. initio operis « Quamvis rei a nobis tractandae partem potiorem sibi vindicent *canones* Ecclesiae de matrimonio tum proponendi tum explicandi, non tamen omittemus ea quoque pro opportunitate de matrimonio attingere, quae sive *ad doctrinam fidei*, sive ad *doctrinam moralem et pastoralem*, sive denique ad sacram *liturgiam* pertinent; quo fiat, ut unico tractatu comprehendatur quidquid sacerdotibus de matrimonio scire necesse est ». Quod sane verum deprehenditur ipsum commentarium legendo.

Opus enim constans fere 600 paginis in XII partes dividitur; ita: *notiones generales* (p. I pp. 1-60); *matrimonii promissio* (p. II pp. 64-81); *de iis quae matrimonii celebrationi praeire debent* (p. III pp. 89-110); *impedimenta matrimonialia* (p. IV pp. 117-278); *de impedimentorum dispensatione* (p. V pp. 279-372); *de consensu matrimoniali* (p. VI pp. 375-406); *de forma celebrationis matrimonii* (p. VII pp. 407-438); *de tempore et loco celebrationis matrimonii* (p. VIII pp. 442-444); *de matrimonii effectibus* (p. IX pp. 446-483); *de separatione coniugum* (p. X pp. 485-514); *de matrimonio invalido* (p. XI pp. 520-550); *de secundis nuptiis* (p. XII p. 552); *de matrimonio civili* (appendix pp. 555-563). Hae sunt partes generales, quae bene pertractatae fuere, sive scientiphice sive quo meritum materiae.

At liceat quaedam perpendere particularia, quae vel magis bene dicta vel minus propria nobis visa sunt.

Peroptime AA. loquendo de matrimonii obiecto scribunt: «... obiectum matrimonii non est persona humana neque corpus aut organum hominis... Qui contrahit matrimonium *acquirit ius* et assumit obligationem peragendi actus, qui sunt actus reciproci inter coniuges... In quolibet contractu acquiritur ius et assumitur obligatio circa aliquam operationem et saepe mediate circa aliquam rem... Sic etiam in matrimonio idem est dicere: obiectum contractus matrimonialis est *jus* (et obligationem) circa operationes quibus constat coitus et obiectum contractus matrimonialis sunt *operationes* quibus constat coitus. Nihilominus verum dicit qui considerans res sub aliis aspectibus perhibet *ius ad coitum et ipsum coitum esse entia omnino distincta.* Ius enim est relatio et ad ordinem pertinet moralem; coitus est actus et ad ordinem pertinet phisicum » (p. 67). Quae ultima verba magis recta videntur dicta quam praecedentia — quae consulto omisimus — quia illam, quae hodie sine fundamento proponitur, opinionem negantem distinctionem inter *jus* et *usum juris* aliquo modo videtur confirmare.

Breviter sed optime AA. confutant sententiam Doms, Roeholl et Krempel, quae finem primarium matrimonii consistere tenet in perfectione vitae individualis coniugum et non in prolis procreatione et educatione, sicuti semper Ecclesia docuit.

AA. loquentes de matrimonii *sacramento* nimis pauca habent: etsi opus sit potius juridicum quam theologicum, tamen, cum et res theologica in tractatione adducta sit, bonum erat si diffusius tracteretur.

Multa et bene tractata AA. habent de matrimonii impedimentis. Quoad autem impotentiae impedimentum AA. omnes sententias hucusque prolatas hystorice et intrinsece peroptime explicant, concludentes pro sententia recentiori, quae putat in statuenda natura juridica impotentiae « omitti debere elementa per se subtracta cognitioni humanae seu in se non nota, scilicet incapacitas organica generandi et incapacitas eiaculandi materiam in testiculis elaboratam... in hac tertia sententia impotentia definitur: incapacitas coeundi, i. e. incapacitas penetrandi vaginam ibique eiaculandi semen tali modo ut actus causet delectationem perfectam quae secumfert plenam satisfactionem concupiscentiae eiusque sedationem » (p. 181).

Multa etiam et bene explicata AA. scribunt circa impedimentorum dispensationem.

Optima appendix *de matrimonio civili*, ubi quaestiones tractantur quae difficillime inveniuntur in manualibus.

Omnibus juris canonici cultoribus necnon alumnis, praesertim facultatum juris canonici, commendamus hoc opus, quod inter omnia manualia juris matrimonialis est magis completum magisque perfectum.

VINCENTIUS FAGIOLO.

DOCUMENTA
ET
CHRONICA

DOCUMENTA

6 Maii 1951 — Romanus Pontifex, sapientes prudentesque impertiens normas ad Actionem Catholicam et Marialem Sodalitatem provehendas, harum Consociationum gregales allocutus est. Cum agatur de normis maximi momenti, opportunum videtur nobis referre quae S. Pontifex docuit prout in commentario « *L'Osservatore Romano* » diei 6 Maii 1951 legimus.

« *Diletti figli e figlie — Uomini e Donne, Gioventù maschile e femminile, Maestri e Maestre, dell'Azione Cattolica Italiana — di gran cuore vi salutiamo e vi ringraziamo della diligenza, con cui vi siete applicati nei giorni scorsi allo studio di due questioni di capitale importanza per la vita religiosa, pubblica e privata, in Italia. Da parte Nostra non intendiamo oggi di tornare ancora una volta su quei temi, nè stimiamo necessario di esprimervi la paterna gioia, che voi leggete nei Nostri occhi, al vedervi adunati in così gran numero intorno a Noi; ma desideriamo piuttosto di richiamare la vostra attenzione su alcuni pensieri che riguardano l'Azione cattolica in sè stessa.*

1. - *Anzitutto voi siete* « Azione cattolica ». *Questa parola* « *Azione* », *al tempo stesso precisa e comprensiva, indica il carattere proprio della vostra organizzazione e vi distingue da altre associazioni cattoliche. Non già che queste non esercitino anch'esse un'azione, ma la loro azione tende generalmente ad uno scopo peculiare e determinato, che si vuol conseguire mediante un lavoro organizzato e permanente, sia che esse svolgano le loro attività nell'ordine religioso e caritativo, ovvero in quello sociale economico, o in altri campi della coltura. Perciò queste associazioni prendono ordinariamente il loro stesso nome dal fine che si propongono.*

Voi invece vi chiamate semplicemente « Azione cattolica », perchè avendo un fine generale, e non particolare o specifico, non siete un asse fisso, intorno al quale graviti il meccanismo di una organizzazione qualsiasi, ma piuttosto come un luogo d'accolta, ove convergono e si organizzano i cattolici di azione.

Da ciò consegue che non vi possono essere fra voi — come ve ne sono legittimamente e utilmente in altre associazioni —, accanto ai veri e propri membri attivi, altri, per così dire, « onorari », i quali semplicemente aderiscono allo scopo oggettivo dell'associazione, rinnovano regolarmente la loro iscrizione, pagano il loro contributo finanziario, forse anche ricevono le pubblicazioni periodiche e prendono talvolta parte alle assemblee. Invece non sarebbe concepibile un gruppo di Azione cattolica, in cui si reclutassero membri non pienamente attivi. Acquistare la tessera di socio, ascoltare conferenze o discorsi, sottoscrivere al giornale, forse anche senza poi leggerlo; può questo bastare per dirsi vero membro dell'Azione cattolica? Non vi sarebbe opposizione fra il nome e la cosa? Meriterebbe il nome di Azione cattolica un piccolo nucleo di

membri attivi, a cui una folla amorfa di aderenti facesse scorta e coro nelle grandi manifestazioni pubbliche?

2. - *L'Azione cattolica è — voi ben lo sapete — a un titolo speciale direttamente subordinata alla potestà della Gerarchia ecclesiastica, di cui è la collaboratrice nell'apostolato. Nell'Azione cattolica italiana la Presidenza generale e dei vari gruppi diocesani e parrocchiali spetta ai laici, i quali però sono assecondati e guidati dagli assistenti ecclesiastici; mentre nelle Congregazioni mariane, che pure possono dirsi* pleno iure *Azione cattolica, il parroco è il Presidente nato* (*cfr.* Constit. Bis saeculari, 27 *Septembr. 1948* - Acta Ap. Sedis *vol. 40 pag. 393 e segg.*). *Ma affinchè l'assistenza alle vostre Associazioni femminili sia veramente santa e fruttuosa, i sacerdoti con fine e delicato riserbo lasciano completamente alle dirigenti, e in ogni caso alle cure e nelle mani di donne religiose e sagge ciò che queste possono fare da sè, talvolta anche meglio, restringendo essi stessi la loro opera al ministero sacerdotale.*

Queste considerazioni sull'organizzazione dell'Azione cattolica C'inducono ad aggiungere alcuni avvertimenti generali, richiesti anche da talune non rette tendenze manifestatesi al tempo nostro.

Anzitutto una parola sul concetto dell'apostolato. Esso non consiste soltanto nell'annunzio della buona novella, ma anche nel condurre gli uomini alle fonti della salute, pur con pieno rispetto della loro libertà, nel convertirli e nell'educare i battezzati, con arduo sforzo, a divenire perfetti cristiani.

Sarebbe inoltre erroneo il vedere nell'Azione cattolica — come è stato da alcuni recentemente affermato — qualche cosa di essenzialmente nuovo, un mutamento nella struttura della Chiesa, un nuovo apostolato dei laici, che sarebbe a lato di quello del sacerdote, e non a questo subordinato. Sempre vi è stata nella Chiesa una collaborazione dei laici all'apostolato gerarchico, in subordinazione al Vescovo e a coloro, cui il Vescovo ha affidato la responsabilità della cura delle anime sotto la sua autorità. L'Azione cattolica ha voluto dare a questa collaborazione soltanto una nuova forma e organizzazione accidentale per il suo migliore e più efficace esercizio.

Sebbene l'Azione cattolica in origine sia, come la Chiesa stessa, organizzata secondo le diocesi e le parrocchie, tuttavia ciò non impedisce il suo ulteriore sviluppo al di là e al di sopra dei limiti ristretti della parrocchia. Si deve anzi riconoscere che, nonostante tutta l'importanza dei valori e delle energie fondamentali e insostituibili della parrocchia, la complessità, rapidamente crescente, tecnica e spirituale della vita moderna, può richiedere urgentemente una più larga estensione dell'Azione cattolica. Ma questa anche allora rimane sempre un apostolato dei laici, sottomesso al Vescovo o ai suoi delegati.

3. - *L'attività dell'Azione cattolica si estende a tutto il campo religioso e sociale, fin dove, cioè, giunge la missione e l'opera della Chiesa. Ora ben si sa che il normale accrescimento e invigorimento della vita religiosa suppone una determinata misura di sane condizioni economiche e sociali. Chi non si sente stringere il cuore al vedere quanto la miseria economica e i mali sociali rendono più difficile la vita cristiana secondo*

i comandamenti di Dio e troppo spesso esigono eroici sacrifici? Ma da ciò non si può conchiudere che la Chiesa debba cominciare col metter da parte la sua missione religiosa e procurare prima di tutto il risanamento della miseria sociale. Se la Chiesa è stata sempre sollecita nel difendere e nel promuovere la giustizia, essa, fin dal tempo degli Apostoli, anche dinanzi ai più gravi abusi sociali, ha adempiuto la sua missione e, con la santificazione degli animi e con la conversione degli interni sentimenti, ha cercato d'iniziare il risanamento anche dei mali e dei danni sociali, persuasa com'è che le forze religiose e i principî cristiani valgono, meglio di ogni altro mezzo, a conseguirne la guarigione.

4. - La esterna e ben disciplinata organizzazione dell'Azione cattolica non esclude, ma anzi promuove la personale perpicacia e lo spirito di previdenza e di iniziativa dei singoli — ognuno secondo le proprie qualità e capacità —, in permanente contatto coi membri di Azione cattolica del medesimo luogo, della medesima professione, della medesima cerchia. Ciascuno si tiene cordialmente a disposizione, ogniqualvolta si sente il bisogno di qualche attività o campagna cattolica. Col suo entusiasmo e con la sua dedizione ognuno apporta un aiuto disinteressato alle altre unioni e istituzioni, che possono desiderare il suo concorso per ottenere più sicuramente e più perfettamente il loro proprio fine.

In altri termini, non sarebbe compatibile col vero concetto di Azione cattolica la mentalità di associati i quali si considerassero come le ruote inerti di una macchina gigantesca, incapaci di muoversi da sè stesse, finchè la forza centrale non le fa girare. Nè sarebbe ammissibile di vedere i capi dell'Azione cattolica essere come i manovratori di una centrale elettrica davanti al quadro di comando, attenti soltanto a lanciare o ad interrompere, a regolare o a dirigere la corrente nella vasta rete.

Soprattutto essi debbono esercitare un influsso personale morale, che sarà l'effetto normale della stima e della simpatia che sapranno conciliarsi e che darà credito ai loro suggerimenti, ai loro consigli, all'autorità della loro esperienza, ogniqualvolta si tratterà di mettere in moto le forze cattoliche pronte all'azione.

5. - Noi non abbiamo bisogno d'insegnarvi che l'Azione cattolica non è chiamata ad essere una forza nel campo della politica di partito. I cittadini cattolici, in quanto tali, possono ben unirsi in una associazione di attività politica; è il loro buon diritto, non meno come cristiani che come cittadini. La presenza nelle sue file e la partecipazione di membri dell'Azione cattolica — nel senso e nei limiti suaccennati — è legittima e può essere anche del tutto desiderabile. Non potrebbe invece ammettersi, anche in virtù dell'articolo 43 del Concordato fra la S. Sede e l'Italia, che l'Azione Cattolica Italiana divenisse una organizzazione di partito politico.

6. - L'Azione cattolica non ha nemmeno per natura sua la missione di essere a capo delle altre associazioni e di esercitare su queste un ufficio di quasi autorevole patronato. Il fatto che essa è posta sotto la immediata direzione della Gerarchia ecclesiastica non porta con sè una

simile conseguenza. Infatti il fine proprio di ogni organizzazione è quello che determina il modo della sua direzione. E può ben darsi che questo fine non richieda ed anzi non renda opportuna tale immediata direzione. Ma non per ciò quelle organizzazioni cessano di essere cattoliche e unite alla Gerarchia.

Paragonato con esse, il senso specifico dell'Azione cattolica consiste come abbiamo detto, nel fatto che essa è come il punto d'incontro di quei cattolici attivi, sempre pronti a collaborare con l'apostolato della Chiesa, apostolato per divina istituzione gerarchico, e che trova nei battezzati e cresimati i suoi cooperatori ad essa soprannaturalmente congiunti.

Da ciò deriva una conseguenza, che è al tempo stesso un paterno ammonimento, non per l'Azione cattolica di un determinato Paese, ma per l'Azione cattolica di ogni Paese e di ogni tempo. La sua costruzione, cioè, dovrà adattarsi nelle diverse regioni alle particolari circostanze del luogo; ma in un punto tutti i suoi membri hanno da essere eguali: nel « sentire cum Ecclesia », *nella dedizione alla causa della Chiesa, nella obbedienza verso coloro che lo Spirito Santo ha costituiti Vescovi per reggere la Chiesa di Dio, nella filiale sottomissione verso il Pastore supremo, alla cui sollecitudine Cristo ha affidato la sua Chiesa. E come potrebbe essere altrimenti, mentre voi, membri dell'Azione cattolica, formate, per così dire, quasi una cosa solo col Vescovo e col Papa?*

Con tale augurio, v'impartiamo con effusione di cuore, diletti figli e figlie, la Nostra Apostolica Benedizione ».

Deinde sociis Marialium Sodalitatum idem S. Pontifex ita ait: »...

« *Ed ora il Nostro pensiero si volge alle Congregazioni Mariane di Roma e d'Italia, convenute nella Eterna Città per due importanti adunanze.*

Tante volte e in così diverse maniere Noi vi abbiamo dato, diletti figli e figlie, la spontanea testimonianza del Nostro affetto e della Nostra sollecitudine, che non avremmo veramente altro da aggiungere, anche in questa occasione, se non forse una nuova paterna esortazione a contraccambiare la Nostra fiducia con una sempre più perfetta docilità alle vostre regole, al vostro spirito, a tutte le raccomandazioni ed istruzioni che, dopo i Nostri Predecessori, vi abbiamo rivolte Noi stessi, principalmente con la Costituzione Apostolica Bis saeculari.

Vogliate vedere in essa la Carta delle Congregazioni Mariane, e ricordatevi che queste saranno tanto più vigorose, prospere ed efficaci, quanto più vi conformerete esattamente alle sue prescrizioni. Fate perciò che a questo scopo tendano i vostri sforzi personali, gli sforzi di ciascuna delle vostre Congregazioni, le intense cure associate delle vostre assemblee, delle vostre federazioni e confederazioni

Siate ben persuasi: quanto più le vostre Congregazioni mariane saranno vive e fedeli al loro carattere, quanto più lavoreranno secondo i loro metodi, nel loro vasto campo di santificazione, di carità, di apostolato, tanto più si renderanno utili all'opera comune della Chiesa, le cui forme sono varie, ma il cui fine è unico.

Tutto ciò voi avete compreso e praticato, come dimostra il magnifico albo, nel quale Ci presentate un compendio dei vostri lavori nelle parrocchie e nei quartieri posti alla periferia di Roma. Secondo le vostre tradizioni, voi agite senza rumore, con altrettanta discrezione che intensità. Noi ben lo sappiamo e ve ne lodiamo; ma è pur conveniente che in talune circostanze « gli uomini vedano le vostre opere buone e glorifichino la vostra Madre, che è nei cieli ».

Ma a voi particolarmente, dilette figlie, si addice una parola di speciale incoraggiamento. Quest'anno voi celebrate il secondo centenario del Breve « Quo tibi », *col quale l'immortale Nostro Predecessore Benedetto XIV apriva alle donne e alle Congregazioni femminili l'adito alla grande famiglia della Prima Primaria. Innovazione provvidenziale, poichè, se la esclusività aveva servito durante due secoli per dare alla vita e all'attività delle Congregazioni Mariane maggior solidità, la trasformazione della società veniva a far conferire alla donna una funzione, differente, ma paragonabile in forza ed in ampiezza a quella degli uomini.*

Con questa felice estensione nulla è stato cambiato al carattere originario. Non le Congregazioni hanno mitigato le loro esigenze, per mettersi alla portata dell'elemento femminile, ma questo si è elevato alla loro altezza, arricchendole delle sue preziose energie.

Su voi tutti dunque, e su quanti sono a voi uniti di sprito nella grande « Giornata mondiale », Noi invochiamo i più eletti favori di Dio e della vostra Madre celeste, mentre di gran cuore v'impartiamo la Nostra Apostolica Benedizione.

---

27 Maii 1951 — Summus Pontifex die 27 Maii 1951 allocutus est Religiosos, magistros et alumnos Instituti Marcantonii Colonna de Urbe, celebrantes quinquagesimum a condito eodem Instituto annum. Inter alia R. Pontifex gratias agit ob pium animi obsequium sibi exhibito ac meminit salutares et multos fructus ab Instituto perceptos per exactum quinquaginta annorum spatium. Qui fructus sane augebuntur, nominatim ob adauctos scholarum Instituti ordines, unde iuvenes usque ad Universitatem plenam consequuntur institutionem in liberalibus ac religiosis disciplinis. Praeterea R. Pontifex commemorat opus Edmundi Ignatii Rice, fundatoris operis « Christian Brothers », quod originem dedit etiam Instituto Marcantonii Colonna. Quod opus Rice multiplices fructus protulit vel ad sacra vocatos liberaliter fovendo. Quapropter idem Pontifex ait: « E' un fatto incontestabile che la frequenza delle vocazioni sacer- « dotali è, non l'unica, ma una delle più sicure norme per misurare « il valore di una scuola cattolica e di ogni altra istituzione educa- « tiva, la sua fecondità, non solo nel ministero ecclesiastico, ma « altresì in tutto il campo di azione anche dei laici ». Dein gratias agit Deo pro omnibus quae a Deo obtenta sunt praesentesque hortatur ut in bonum et incrementum operis incumbant ad mentem fundatoris, prae oculis habentes pericula hodierna fidei et educa-

tioni iuventutis conflata. Postea ait R. Pontifex. « Un'osservazione, « tuttavia, qui s'impone. In alcuni Paesi, persone competenti nelle « questioni della educatione e della scuola cattolica hanno pro- « mosso inchieste con domande assai precise e particolareggiate, « secondo il metodo della psicologia moderna, sulla vita religiosa « degli alunni, massime negli anni dell'adolescenza. Se si deve « credere alla loro testimonianza, essi sono giunti a questa con- « clusione sorprendente: il pericolo che il cinematografo fa cor- « rere alla fede degli alunni è meno gravemente minaccioso di « quello che può derivare dagli eventuali difetti del sacerdote, e « poi da quelli dei maestri e degli educatori in generale. In ter- « mini positivi: l'influsso del sacerdote e dell'educatore nella casa « paterna, nella chiesa e nella scuola, rimane sempre il primo e « più forte elemento per fare di un giovane un vero cristiano. « Quale potente richiamo al senso della responsabilità! ma anche, « per voi, quale stimolo vigoroso ».

CHRONICA

ACTA PII PP. XII

LITTERAE DECRETALES:

28 Maii 1950 — *Litterae Decretales, quibus Beatae Joannae De Valois, Galliae Reginae, Fundatrici Ordinis SS.mae Annuntiationis B. M. V., Sanctorum honores decernuntur.* (*A.A.S.* - 8/5/1951 - vol. 43, p. 241-253).

11 Augusti 1950 — TEFENSIS - *Constit. Apost.* Quum, Deo adiuvante, *qua Praefectura Apostolica Tefensis in Praelaturam Nullius erigitur, servato eodem nomine.* (*A.A.S.* - 21/4/1951 - vol. 43, p. 193-195).

11 Augusti 1950 — SOLIMÕES SUPERIORIS - *Constit. Apost.* Laeto accipimus, *qua Praefectura Apostolica Solimões Superioris in Praelaturam* Nullius *erigitur et constituitur.* (*A.A.S.* - 21/4/1951 - vol. 43, p. 196-198).

30 Novembris 1950 — TUGUEGARAONAE - *Constit. Apost.* Ad faciliorem, *qua a dioecesis Tuguegaraonae territorio pars seiungitur, quae in novam erigitur Praelaturam* Nullius, BATANENSEM *et* BABUYANENSEM *nomine.* (*A.A.S.* - 21/4/1951 - vol. 43, p. 198-201).

21 Decembris 1950 — LAOSIENSIS - *Constit. Apost.* Maius sane, *qua a Vicariatus Apostolici Laosiensis in Indosina territorio pars seiungitur, quae in novam Praefecturam Apost.* THAKHEKENSEM *nomine erigitur.* (*A.A.S.* - 8/5/1951 - vol. 43, p. 253-254).

10 Januarii 1951 — RIOPRETENSIS - *Const. Apost.* Decessor Noster, *qua Canonicorum collegium in Cathedrali ecclesia Riopretensi erigitur.* (*A.A.S.* - 8/5/1951 - vol. 43, p. 255-257).

11 Januarii 1951 — AFRICA MERIDIONALIS - *Const. Apost.* Suprema Nobis, *quibus Hierarchia Episcopalis in Africa Meridionali constituitur.* (*A.A.S.* - 8/5/1951 - vol. 43, p. 257-263).

27 Januarii 1951 — JARENSIS - *Const. Apost.* Ex supremi apostolatus, *qua dioecesis Jarensis territorium bipartitur et nova erigitur dioecesis* CAPICENSIS *nomine.* (*A.A.S.* - 8/5/1951 - vol. 43, p. 264-266).

27 Januarii 1951 — GAGAYANA *et* ZAMBOANGENSIS - *Constit. Apost.* Supremum Nobis, *qua a dioecesium Gagayanae et Zamboangensis territorio partes seiunguntur, quarum territorium in novam erigitur Praelaturam* Nullius, OZAMISANAM *appellandam.* (*A.A.S.* - 26/5/1951 - vol. 43, p. 353-355).

8 Februarii 1951 — DE CAQUETÀ - *Constit. Apost.* Quo efficacius, *qua Vicariatus Apost. De Capuetà bifariam partitur et novus Vicarius Apost.* FLORENTIAE *nomine atque Praefectura Apost.* LAETITIAE *appellatione eriguntur; nomen autem Vicariatus* DE CAQUETÀ *in Vicariatus Apostolici* SIBUNDOYENSIS *mutatur.* (*A.A.S.* - 26/5/1951 - vol. 43, p. 356-357).

8 Februarii — De Bangka *et* Billiton - *Constit. Apost.* Si enascens, *qua Praefectura Apostolica De Bangka et Billiton in Vicariatum Apost.* Pangkalpinangensem *appellandum evehitur.* (*A.A.S.* - 26/5/1951 - vol. 43, p. 358-359).

17 Februarii 1951 — Gaspesiensis - *Constit. Apost.* Cathedralia Canonicorum, *qua Canonicorum Collegium in cathedrali Ecclesia Gaspesiensi erigitur.* (*A.A.S.* - 26/5/1951 - vol. 43, p. 359-361).

LITTERAE APOSTOLICAE:

22 Octobris 1948 — *Litterae Apost.* Conspicua templa Dei, *quibus templum B. Mariae Virginis et S. Martini Ep., in pago* Taal *dioecesis* Lipensis *titulo Basilicae Minoris insignitur.* (*A.A.S.* - 21/4/1951 vol. 43, p. 201-202).

5 Junii 1949 — *Litterae Apost.* Pergratum Nobis, *quibus S. Michaël Archangelus caelestis Patronus omnium Legatorum Hispaniae constituitur.* (*A.A.S.* - 21/4/1951 - vol. 43, p. 202-203).

28 Octobris 1949 — *Litterae Apost.* Quidquid ad cultum, *quibus B. V. Maria Auxilium Christianorum Patrona caelestis totius dioecesis S. Vincentii constituitur.* (*A.A.S.* - 21/4/1951 - vol. 43, p. 204-205).

28 Novembris 1950 — *Litterae Apost.* Sacras inter aedes, *quibus Ecclesia S. Venantii M., in urbe* Camerinensi *exstans, ad dignitatem Basilicae minoris evehitur.* (*A.A.S.* - 21/4/1951 - vol. 43, p. 205-207).

5 Decembris 1949 — *Litterae Apost.* Quemadmodum plantariis, *quibus S. Joseph, sponsus B. M. V., praecipuus* Barranquillensis *dioecesis Patronus constituitur.* (*A.A.S.* - 8/5/1951 - vol. 43, p. 267-268).

13 Maii 1950 — *Litterae Apost.* Excultioribus Templis, *quibus Ecclesia S. Materni, in oppido* Walcourt, *dioecesis* Namurcensis, *Basilicae Minoris titulo insignitur.* (*A.A.S.* - 8/5/1951 - vol. 43, p. 268-269).

15 Aprilis 1951 — *Litterae Apost.* Quoniam ex Numinis, *quibus Venerabilis Dei famulus* Francisnus Antonius Fasani, *sacerdos O.F.M.C., Beatus renuntiatur* (*A.A.S.* - 8/5/1951 - vol. 43, p. 270-274).

1 Junii 1950 — *Litterae Apost.* Paterna caritas, *quibus B. Virgo Maria ab Immaculato Corde totius dioecesis* Leopoldinensis *in Brasilia praecipua Patrona caelestis, atque S. Antonius M. Claret, E. C., et S. Teresia a Jesu Infante V., eiusdem dioecesis Patroni Secundarii proclamantur.* (*A.A.S.* - 26/5/1951 - vol. 43, p. 362-363).

6 Septembris 1950 — *Litterae Apost.* Gravis saeculi, *quibus B. Virgo Maria a Perpetuo Succursu praecipua* Wilcanniensis *dioecesis Caelestis Patrona declaratur.* (*A.A.S.* 26/5/1951 - vol. 43, p. 363-364).

6 Maii 1951 — *Litterae Apost.* Magnum est moderari, *quibus Venerabilis Dei Famula* Placida Viel, *Virgo, instituti Sororum Scholarum Christianarum a Misericordia Generalis Antistita secunda, Beata renuntiatur.* (*A.A.S.* - 26/5/1951 - vol. 43, p. 364-369).

EPISTULAE:

1 Januarii 1951 — *Epistulà* Tibi prima episcopatus *ad Em.mum Card.* Eduardum Mooney, *Archiepiscopum Detroitensem, vicesimum quintum episcopatus annum implentem.* (*A.A.S.* - 8/5/1951 - vol. 43, p. 275-276).

28 Januarii 1951 — *Epistula* Unserm geliebten *ad Em.mum Card. Michaëlem de* Faulhaber, *Archiepiscopum Monacensem et Frisingensem, annum quadragesimum ab Episcopatu et tricesimum a suscepta Purpura implentem.* (*A.A.S.* - 8/5/1951 - vol. 43, p. 276-278).

2 Aprilis 1951 — *Epistula ad Em.mum Card.* Normannum Gilroy, *Archiepiscopum Sydneyensem, ceterosque Archiepiscopos atque Episcopos Australiae dena lustra celebrantes a renuntiatis Foederatis Civitatibus eiusdem Australiae.* (*A.A.S.* - 26/5/1951 - vol. 43, p. 369-371).

4 Aprilis 1951 — *Epistula ad Em.mum* Eugenium *Card.* Tisserant, *Episcopum Ostiensem, Portuensem et S. Rufinae, S. Collegii Decanum ac S. Congregationis Pro Ecclesia Orientali Secretarium, primo exeunte saeculo a sodalitate SS. Cyrilli et Methodii condita.* (*A.A.S.* - 26/5/1951 - vol. 43, p. 371-373).

14 Aprilis 1951 — *Ad Ill.mum ac Rev.mum* Paulum Savino, *Praelatum Referendarium S. Tribunalis Signaturae Apostolicae et Pontificiae Academiae Ecclesiasticae Praesidem: anno 250 ab eadem Academia condita exeunte.* (*A.A.S.* - 26/5/1951 - vol. 43, p. 373-374).

ALLOCUTIONES:

25 Martii 1951 —*Ad christifideles, die Paschatis Resurrectionis D.N.J.C., pia omina ac vota S. Pontifici ac Veneratissimo Patri in foro Petriano proferentes.* (*A.A.S.* - 21/4/1951 - vol. 43, p. 207-209).

26 Martii 1951 — *Ad Delegatos Gallicae Sodalitatis* Union des Catholiques de l'Enseignement Public *appellatae.* (*A.A.S.* - 21/4/1951 - vol. 43, p. 209-213).

Inter alia Summus Pontifex memorat maximum momentum, in Gallia, Universitatis Sorbonensis, quae humani cultus favens progressui, praecipuum obtinuit locum in historia ecclesiastica et civili gallica.

Recolit praeterea S. Pontifex quae Ecclesiae adversarii saeculo XVIII in publicam institutionem commoliti sunt: contra quos egerunt magistri catholici magna cum fortitudine constantiaque. In qua actione contra Ecclesiae adversarios plurimi aestimandum est perseverans opus commentarii *Bulletin national des instituteurs et des institutrices catholiques de l'enseignement public*, quod effectus maximi momenti obtinuit. Postea R. Pontifex ait: «... Ce qui Nous cause une particulièrement vive impression en vous voyant ici, c'est la plénitude de votre manifestation: plénitude par l'ampleur et la variété de votre assemblée d'enseignants et futurs enseignants de toutes les branches et de tous les ordres, plénitude par l'objet que vous visez, car vous ne faites pas de votre réunion uniquement le fière et publique attestation de votre appartenance

à l'Eglise et de votre fidélité à sa doctrine et à sa discipline, de votre dévotion filiale envers le Vicaire de Jésus Christ: vous en faites surtout un rendez-vous fraternel destiné à promouvoir ensemble, à développer et perfectionner en vous-mêmes la vie intérieure de foi, de prière, de zèle apostolique... Vous avez grandement raison de mettre au premier plan de vos intentions votre progrès et votre perfectionnement spirituels. C'est votre valeur personnelle — humaine et chrétienne —, qui doit être non seulement la base, mais le ressort de toute votre action efficace, aussi bien pour votre propre sanctification, que pour votre apostolat ».

Quaevis efficacia apostolatus provenit ex exemplo fidei et vitae catholicae, ex superabundantia vitae interioris supernaturalis, quae influit in omnes animas. Quam apostolatus efficaciam consequitur praesertim et directius, etiam nostris temporibus, ministerium magistrorum catholicorum. Nam, quamvis Ecclesia instet ut parentes filiis suis integram impertiant institutionem educationemque moralem et religiosam quamvis ipsa Ecclesia adiuvet ac laudet scholas catholicas provehentes; ob varias tamen circumstantias (v. g. ob negligentiam ac socordiam parentum) saepenumero multi pueri privantur christiana institutione. Propterea — addidit S. Pontifex — « malgré tout, vous estimez pouvoir et devoir, sans la moindre ingérence illégitime ou simpliment illégale, faire du bien, un grand bien, à ces jeunes âmes. Le pouvez-vous donc autrement que par cette influence secrète de la Grâce débordante, dont Nous venons de parler, et de la prière? ». Scientia enim cuiuslibet generis ostendit intellectui hominum opera Dei, leges ab ipso conditas et quae inde in generis humani vitam, cum physicam, tum moralem ac socialem, dimanant.

6 Aprilis 1951 — *Allocutio ad eos qui Conventui adfuerunt internationali de* Mouvement universel pour une Confédération mondial. (*A.A.S.* - 8 Maii 1951 - vol. 43, p. 278-280).

18 Aprilis 1951 — *Allocutio ad christifideles qui Romam convenerant ut sacris interessent quae in honoribus beatorum decernendis celebrata sunt: Servo Dei* Francisco Antonio Fasani (*A.A.S.* - 8 Maii 1951 - vol. 43, p. 280-282).

2 Maii 1951 — *Allocutio ad christifideles qui Romam convenerant ut sacris adessent quae, dum beati renuntiati sunt* vigintiquinque Martyres in Tonchino, celebrabantur. (*A.A.S.* - 26 Maii 1951 - vol. 43, p. 379-381).

NUNTIUS RADIOPHONICUS:

11 Martii 1951 — *Nuntius Radiophonicus Christifidelelibus Operariis Hispaniae datus.* (*A.A.S.* - 21/4/1951 - vol. 43, p. 213-216).

Inter alia Romanus Pontifex, alloquens operarios Hispaniae, asserit Ecclesiam catholicam magni semper fecisse quaestionem operariorum et socialem, praesertim per Leonem XIII et encyclicam *Rerum Novarum.* Absque Ecclesiae auxilio quaestio socialis definiri nequit; ad eamdem

solvendam necessaria omnino est unio virium mentis, oeconomiae et technicae, disciplinae Ecclesiae et Status. Ecclesia iam protulit hac in re agendi rationes amplas et rectas, quarum principia non semper Civiles Potestates effecta dederunt. In sua historia Ecclesia pertransiit per diversa systemata oeconomica-socialia, a periodo servitutis usque ad hodiernum inter divitum ordinem et proletariam plebem. Ecclesia non favet socialium rerum perturbationes, sed omnibus modis conatur comparare hominibus bonas conditiones oeconomicas et technicas. Quapropter tuetur ius proprietatis privatae ac iustam eius distributionem. Ad quam facilius consequendam magni momenti est iusti salarii solutio. Quoad contractus inter operarios et dominos, Ecclesia iura defendit operariorum, quibus obtinere conatur meliores usque conditiones. Dein R. Pontifex ait: « Las discusiones entre patronos y obreros deben tener como fin principal la concordia y la colaboraciòn. Pero esta obra la pueden llevar a cabo solamente hombres que viven de la fe y cumplen su deber en el espìritu de Cristo. Nunca fué fàcil la soluciòn de la cuestiòn social... La reconciliaciòn de las classes, la disposiciòn al sacrificio y al respeto mutuo, la secillez de la vida, la renuncia al luio exigida imperiosamente por la actual situaciòn econòmica: todo eso, y tantas otras cosas, sòlo se podràn obtener con la ayuda de la Providencia y de la gracia de Dios. Sed, pues, hombres de oraciòn. Elevad vuestras manos a Dios, para que, por sue misericordia, y a pesar de todas dificultades, se realice esa gran labor ». Demum R. Pontifex actionem laudat Institutionum hispanicarum pro educatione et institutione operariorum.

29 Aprilis 1951 — *Nuntius Radiophonicus Exc.mis Archiepiscopis et Episcopis cunctisque christifidelibus Africae Meridionalis datus, conditam Ecclesiasticam Hierarchiam celebrantibus.* (*A.A.S.* - 26 Maii 1951 - vol. 43, p. 381-382).

ACTA SS. CONGREGATIONUM

S. CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE:

24 Maii 1950 — Leopoldopolitan - *Decretum de mutatione finium Vicariatum Apostolicorum* (*A.A.S.* - 8/5/1951 - vol. 43, p. 284-285).

1 Decembris 1950 — Nili Aequatorialis (Guluensis) - *Decretum quo Vicariatus Apostolicus Nili Aequatorialis deinceps Guluensis appellabitur.* (*A.A.S.* - 21/4/1951 - vol. 43, p. 218).

8 Februarii 1951 — Pondicherien-Calcutten - *Decretum de mutatione finium archidiocesium* (*A.A.S.* - 26/5/1951 - vol. 43, p. 384-385).

S. CONGREGATIO RITUUM:

7 Januarii 1951 — Andegaven - *Decretum Canonizationis* B. Joannae Delanoue, *Congregationis S. Annae a Providentia Fundatricis.* (*A.A.S.* - 21/4/1951 - vol. 43, p. 219-220).

7 Januarii 1951 — Brixien - *Decretum Canonizationis* B. Mariae Crucifixae di Rosa, *Virginis, Fundatricis Instituti Ancillarum a Caritate.* (*A.A.S.* - 21/4/1951 vol. 43, p. 220-221).

7 Januarii 1951 — MEDIOLANEN - *Decretum Beatificationis et Canonizationis Servi Dei* LUDOVICI NECCHI VILLA, *viri laici e Tertio Ordine S. Francisci* (*A.A.S.* - 21/4/1951 - vol. 43, p. 221-223).

4 Martii 1951 — ROMANA - *Decretum Beatificationis et Canonizationis Servi Dei* PII PAPAE X (*A.A.S.* - 21/4/1951 - vol. 43, p. 223-225).

4 Martii 1951 — CORISOPITEN - *Decretum Beatificationis et Canonizationis Servi Dei* JULIANI MAUNOIR, *sacerdotis Professi S. J.* (*A.A.S.* - 21/4/1951 - vol. 43, p. 225-226).

4 Martii 1951 — LUCERIN - *Decretum Beatificationis et Canonizationis Servi Dei* FRANCISCI ANTONII FASANI, *sacerdotis Professi O. F. M. Conventualium.* (*A.A.S.* - 21/4/1951 - vol. 43, p. 226-228).

4 Martii 1951 — TUNQUINEN - *Decretum Beatificationis seu Declarationis Martyrii Servorum Dei* JOSEPH M. DIAZ SANJURIO O. P., *Episcopi Plataearum et Vicarii Ap. Tonquini Centr.*, MELCHIORIS GARCIA SAMPEDRO O. P., *episcopi Tricomien., eiusdem in Vicariatu successoris et* SOCIORUM *in odium fidei interemptorum.* (*A.A.S.* - 21/4/1951 - vol. 43, p. 229-230).

4 Martii 1951 — CONSTANTIEN. *et* ABRINCEN - *Beatificationis et Canonizationis Venerabilis Servae Dei* PLACIDAE VIEL, *Secundae Moderatricis Generalis Instituti Scholarum Christianarum a Misericordia.* (*A.A.S.* - 8/5/1951 - vol. 43, p. 287-289).

4 Martii 1951 — LUGDUNEN - *Beatificationis et Canonizationis Venerabilis* MARIAE VICTORIAE TERESIAE COUDERC, *Sociae fundatricis Societatis D. N. a Recessu Coenaculi* (*A.A.S.* - 8/5/1951 - vol. 43, p. 289-291).

27 Martii 1951 — LUCERINA - *Beatificationis et Canonizationis Venerabilis Servi Dei* FRANCISCI ANTONII FASANI, *Sacerdotis Professi O.F.M.C.* (*A.A.S.* - 8/5/1951 - vol. 43, p. 291-293).

27 Martii 1951 — AQUEN - *Canonizationis* B. MARIAE DOMINICAE MAZZARELLO, *Virginis, Sociae fundatricis Instituti Filiarum Mariae Auxiliatricis.* (*A.A.S.* - 8/5/1951 - vol. 43, p. 293-295).

27 Martii 1951 — MASSILIEN - *Canonizationis* B. AEMILIAE DE VIALAR, *Fundatricis Instituti Sororum S. Joseph ab Apparitione.* (*A.A.S.* - 8/5/1951 - vol. 43, p. 295-297).

27 Martii 1951 — CONSTANTIEN. et ABRINCEN - *Beatificationis et Canonizationis Venerabilis Servae Dei* PLACIDAE VIEL, *Secundae Moderatricis Generalis Instituti Scholarum Christianarum a Misericordia.* (Super dubio: *An Tuto procedi possit ad eiusdem Venerabilis sollemnem Beatificationem*). (*A.A.S.* - 8/5/1951 - vol. 43, p. 297-298).

27 Aprilis 1951 — *Urbis et Orbis - Decretum - Officium in Festo* ASSUMPTIONIS B. MARIAE VIRGINIS *die 15 Augusti recitandum.* (*A.A.S.* - 26/5/1951 - vol. 43, p. 385-399).

Direttore Responsabile Mons. FIORENZO ROMITA - Via Tripoli, 54 (Tel. 88.19.20)
Autorizzazione del Tribunale di Roma N° 1373 del 15 / 2 / 1950